
1
6







LIBER PRIMVS.

DE EPIGRAMMATE.

Caput Primum.

De nomine, & veteri vſu Epigrammatis.

E*PIGRAMMATIS nomen, & formâ, & habitu græcum eſt: latinè pollet inſcriptio, vel ſi mauis, ſuperſcriptio; ortum à verbo* ἐπιγράφω, *quod ex* ἐπὶ, ſuper, & γράφω ſcribo *conſta-*

tur. Dicimus ἐπιγράφω τὴν ἐπιστολὴν, τὸν ἀνδριάντα, τὸν τάφον, *inſcribo epiſtolam, ſtatuam, tumulum, &c. in quoquidem ſignificatu ait Plutarchus in vita Iſocratis, erectam ei fuiſſe à Timotheo æneam ſtatuam,* καὶ ἐπιγεγράφθαι, & inſcriptum

Τιμόθεος φιλίας τε χάριν, ξενίην τε προτιμῶν,
Ισοκράτους εἰκὼ τήνδ' ἀνέθηκε θεαῖς.

Nempe.

Hoſpitij ergò Timotheus, tum ꝓpter amorem,
Iſocratis Diuis hæc ſimulacra dicat.

Vſus eſt eadem voce Plato in Phædro, dum epigramma in Midæ ſepultura inciſum recenſet. Immo *verò auctore* Suida πάντα τὰ ἐπιγραφόμενα τισὶ, κἂν μὴ ἐν μέτροις εἰρημένα, ἐπιγράμματα λέγεται, omnia, quæ aliquibus rebus inſcripta ſunt, quamuis non ſint verſibus illigata, epigrammata vocantur. *Quid? ſola vox* ἐπιγράφειν, *eſt epigramma componere. Adi Budæum in Comment. & Theſaurum linguæ Græcæ.*

Quæ quidem inſcriptio ac epigramma; primis illis temporibus nuda ſimplexque vno aut ſanè non multò pluribus verbis fieri conſueuerat. Vno quidem extat de Marte apud Pauſaniam in Atticis, ἔστι δὲ αὐτῷ ἐπίγραμμα ἐνυάλιος: eſt autem illi epigramma Enyalius: *vbi vox Enyalius, eſt Martis illius epigramma.*

ma. Ita, *qui Herculi signum erigeret, eidemque inscriberet,* Herculi patri, *vel,* Orbis domitori; *vel qui Romuli statuæ affixisset,* Vrbis conditori, *vel* Quiritium patri, *primæua illa significatione conficeret epigrammata. Vnde etiam habes, quare inscriptionis vox facta sit propria epigrammatibus, quamuis omnium & poematum, & librorum extent inscriptiones: quia nimirum epigramma nihil esset præter inscriptionem, & simplicem ἐπιγραφὴν.*

Pluribus verbis refert Onesicritus apud Strabonem libro Geograph. 15. hoc monostichon epigramma, græcum quidem, sed Persicis litteris exaratum in Cyri Persarum Regis monimento.

Ενθάδ᾽ ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεὺς βασιλείων. *id est*

Conditus hic sũ Cyrus, Rex Regumq. ducumq.

Huius generis est illud Ausonij in statuam Veneris, epigram. 32.

Orta salo, suscepta solo, patre edita cœlo,
Æneadum genitrix hic habita alma Venus.

Tum isthuc eius ipsius in Rufum Rhetorem, epigram. 44.

Rhetoris hæc Rufi statua est: si saxea, Rufus,
Cur, id ais? semper saxeus ipse fuit.

Epigramma igitur prima & germana significatione erat inscriptio, quæ statuis, signis, monimentis,

trophæis, & imaginibus, pro elogio aut contra affige-batur: postea verò cum ad librum relatum esset, statua, vel signum, &c. fiebat epigrammatis epigramma, & inscriptionis inscriptio. Rem exemplo cape. Ausonius cum illud carmen, Rhetoris hæc, &c. *inscripsit Rufi statuæ, epigramma erat: vbi verò illud idem in codicem transtulit, Rufi statua, vel vt pressius loquar, ratio statuæ, facta est illius epigrammatis inscriptio, hoc pacto.* In Rufi statuam. *quæ est indicatura, breuisque comprehēsio epigrammatis: quamquidem argutus poeta, libro decimo quarto, epigram. 2. appellat Lemma, dum ait,*

Lemmata, si quæris, cur sint adscripta, docebo:
Vt si malueris, lemmata sola legas.

Cæterùm iamdudum obtinuit vsus, vt epigramma nuncupetur breuis aliqua & compendiosa compositio, metris & pedum vinculis illigata: de qua mox audies, nunc eius antiquitatem perpende.

Caput Secundum.

De Epigrammatis antiquitate.

Epigrammata, primo illo quo dixi sensu, iam tum cæpiße certum est, cum homines signa, statuas,

tuas, & monimenta cæperunt erigere. Atqui ea etiam ipsa carminibus comprehensa inter vetustissima scripta annumerari, nullus ambigo. Etenim in confesso est hodie, nullum in litterarum monimentis extare vetustius opus ipsis Homeri operibus. At hic non pauca epigrammata extulit. Subijciam vnum vel alterum. Homeri est hoc, planè Homericæ maiestatis plenum, ad consecrandam Midæ Phrygiæ Regis memoriam elaboratum.

χαλκῆ παρθένος εἰμὶ, Μίδα δ' ἐπὶ σήματι κεῖμαι,
Εὔτ' ἂν ὕδωρ τε νάῃ, καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ,
Ηέλιος τ' ἀνιὼν λάμποι, λαμπρά τε σελήνη,
Αυτοῦ τῇδε μένουσα πολυκλαύςῳ ἐπὶ τύμβῳ,
Αγγελέω παριοῦσι, Μίδας ὅτι τῇδε τέθαπται.

Quod latinis auribus ita sonat.

Ænea sum virgo, Regis monimentaque seruo
Ipsa Midæ, dumq. vnda fluet, dum sylua virebit,
Dumq. oriens cœlo Phæbus, dũ Luna micabit,
Hoc lugubri posita in tumulo p sæcula mærẽs,
Admoneam, qui prętereãt, Mida cõditus hìc est.

Eiusdem est hoc extemporale, quod ille ab aliquibus seuiente hyeme ad ignem admißus, huius calore, quasi diuino quodam furore percitus, ita profudit,

Ανδρὸς μὲν ςέφανος παῖδες, πύργοι δὲ πόληος,
Ιπποι δ' ἐνδαπέδῳ κόσμος, νῆες δὲ θαλάσσης,

χρή-

χρήματα δ' ἄυξει οἶκον, ἀυτὰρ γεραροὶ βασιλῆες.
Ημενοι εἰν ἀγορῇ κόσμος τ' ἄλλοισιν ὁρᾶσθαι,
Αιθομένου δὲ πυρὸς γεραρώτερος οἶκος ἰδέσθαι.

Quod ita ſonat.

Sunt nati ornamenta patris, ſunt Vrbis ahenæ
Turres, campi equites, crebræ pontiq. triremes:
Diuitiæ laribus decus addunt, viſque regentum
Dum ſedet in patulo, atque alijs ſe præbet adiri:
Fitq. domus multùm accenſo venerabilis igne.

Quid? ante complura Homeri ſæcula, frequenti in vſu extitiſſe epigrammata, verſibus etiam deuincta non ambigo; cum ante hũc vatem permulti atq. ij egregij, optimique poetæ floruerint. Syager Troianum bellum primus cecinit, & Phrygij Daretæ Ilias *Æliani quoque temporibus, vt idem eſt auctor, in honore habebatur. Vterque longè vetuſtior Homero fuit: ſicut etiam Erena poetria, ex qua quidem non pauca deſcripſit Homerus. Profectò multis annorum curriculis præiuerunt Orpheus, Muſæus, Linus, Olympus, alij: quiquidem vt Deorum hymnos, laudes, aliaque poematia, ſic epigrammata procul dubio compoſuere: Immò in calce Anthologiæ Græc. extat epigramma hoc lemmate,* Ερμοῦ τοῦ τρισμεγίστου, περὶ σεισμῶν, ἐν ἄλλῳ, Ορφέως. *id eſt,* Mercurij Termaximi, de terræ motu: In alio, Orphei. *Hæc*

de

de epigrammatis antiquitate, nunc ipsum contemplemur.

Caput Tertium.

Explicatur definitio epigrammatis: tum huius partitio in simplex, & compositum.

EPigramma, *vt nunc de eo verba facimus*; est breue poema, quod vel simplici indicatione rem aliquam, aut factum, aut dictum exponit, vel ex propositis aliquid aliud deducit. *Nuncupatur* poema, *quoniam oratione metris & pedum numeris illigata atque deuincta constare debet; adeò, vt hac tempestate, quod prosa & soluta oratione conscriptum est, id sanè epigrammatis nomen neutiquam mereatur. Dicitur* breue, *quia vt suo loco dicam, apprimè affectat breuitatem. Verba autem quæ sequuntur, indicant duo summa epigrammatis genera, simplicis, & compositi.*

Simplex epigramma est, in quo ita quipiam enarratur, vt nulla in eo comparatio, deductioue fiat, sed nuda, simplexque indicatio. Exempla, quæ nunc subijcio, rem in propatulo ponent. In libro primo Antholo-

thologiæ Græcæ cap. 83. de liuore hoc legimus.

Ο φθόνος ἐστὶ κάκιστον, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ.
Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.

Pessima res liuor, sed habet tamen ille q͛d optes;
Liuentis tantum, corque, oculosque vorat.

Simplex est etiam isthuc de B. M. V.

Partus, & integritas, discordes tempore longo,
Virginis in gremio fædera pacis habent.

Huius classis est elegans quoque illud octastichon in quo sic decantati septem Græciæ sapientes recensentur, vt singulo versu singuli, eorum nomina, patriæ, & sententiæ referantur.

Nomina, dicta, Vrbes, septē canimus sapiētum.
Optima mensura est, Cleobulus Lindius inquit.
Te cognosce ipsum Lacedæmonis incola Chilō.
Quiq. Corinthius est, iram rege; ait Periander.
Pittacus at, ne quid nimis, effatur Mitylenis.
Atticus hinc Solon vitæ, inquit, respice finem.
Non Spondere Thales Milesius vtile censet.
Plena malorum cuncta, Bias canit vrbe Priene.

Tale etiam est venustissimum hoc Martialis de Arria, & Pæto, libro primo epigr. 14.

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat illa suis;
Si qua fides, vulnus quod feci, non dolet, inquit.

Sed

Sed quod tu facies, hoc mihi Pæte dolet.

Huc assident etiam hæc.

Nos aper auditu præcellit, aranea tactu,

Vultur odoratu, lynx visu, Simia gustu:

Et,

Sunt tria quæ faciũt vultus nigrescere formam;

Phæbus, amor, ventus, luce, calore, gelu.

Et isthuc de eo, qui eandem habuit & matrem, & sororem, & sponsam.

Me pater e nata genuit, mihi iungitur illa:

Sic soror, & coniunx, sic fuit illa parens.

At de simplici epigrammate hæc satis, de composito audi: sit ergo.

Caput Quartum.

De epigrammate composito: tum recensẽtur argumentorum sedes, ex quibus hoc epigram. eruitur.

EPigramma compositum nuncupatum est, quòd in eo sic aliquid proponitur, ac narratur, vt ex ijs, quæ proposita sunt, aliud quippiam deducatur; contra quàm in simplici fieri diximus. Id autem

quod deducitur, vt complures epigrammatum scriptores voluere, aut est maius, aut minus, aut par, & æquale, aut diuersum, aut contrarium. *Sic illi, qui nihilominus hac de re, aut ego fallor, nimis angustè loquuntur: vix tres communes, ac topicos locos comprehendunt, nimirum à comparatione maiorum, minorum, æqualium; tum à contrarijs, Et à diuersis. Verumenimuero cur poeta in cudendo epigrammate non tot habeat loco, quot habet orator, cum sit, vt M. Tullius pluribus locis nos admonet, quammaximè oratori finitimus? Ambo in ijsdem rerum spatijs versantur, quanquam ordine, & modo diuerso. Orator de quacunque proposita re, ornatè copiosè scienterque dicere perhibetur: poeta autem oratione suaui, ac metrica, in earundem rerum curriculo, multò liberioribus eloquentiæ habenis expatiatur. Quamobrem ex ijsdem fontibus ille hauriet argumenta, ex quibus depromit etiam Orator. Hic habet certos aliquos locos, (argumentorum sedes, ac domicilia vocant,) ex quibus omnem argumentationem, pro quacunque proposita quæstione desumit;*

Quorum alij quidem suppeditant argumenta insita, reique inhærentia, quorum præcipui sunt sedecim; nempe a definitione, a notatione, siue etymologia, a partium enumeratione, ex similitudine, ex antecedentibus, ex conse-

consequentibus, ex genere, ex forma, seu specie, ex differentia, ex causis, ex effectis, ex adiunctis, ex coniugatis, ex contrarijs, ex repugnantibus, & denique ex comparatione maiorum, minorum, aut parium. Refert Stagerites libro Rhetor. secundo, quosdam alios, sed minutiores: Alij autem suggerunt argumenta remota, qui quidem si Aristotelem audias; in calce libri primi Rhet. sunt leges, testimonia, tabulæ, tormenta, & iusiurandum. *Fabio verò Quintiliano, libro quinto Orat. Inst. cap. 1. sunt* præiudicia, fama, tormenta, tabulæ, iusiurandum, & testes. *Quæ omnia accuratius persequi, & seduliori trutina pensitare, non est præsentis instituti. Equidem eo consilio hæc attigi, vt intelligas, poetam in conscribendis epigrammatibus, ex omnibus locis topicis eruere posse argumenta, ex quibus depromit Orator, ac proinde, epigramma compositum illud eße, quod ex vno aliquo enarratorum locorum colligitur. Exempli causa, probat Martialis libro primo, epigram. 10. a definitione* belli, *Cottam esse pusillum hominem, hoc disticho.*

Bellus homo, & magnus, vis Cotta videri:
Sed q bellus homo est, Cotta pusillus homo est.

Ab etymologia idem auctor mollissimum & elegantissimum elaborauit epigramma, libro nono, epig. 12. de

Earino Domitiani; qui idem pollet, atque vernus; quia ἔαρ est ver.

Nomen cum violis, rosisque natum
Quo pars optima nuncupatur anni,
Hyblam quod sapit, Atticosque flores;
Quod nidos olet alitis superbæ:
Nomen nectare dulcius beato,
Quo mallet Cybeles puer vocari,
Et qui pocula temperat Tonanti:
Quod si Parrhasia sones in aula,
Respondent Veneres, Cupidinesque,
Nomen nobile, molle, delicatum,
Versu dicere non rudi volebam,
Sed tu syllaba contumax repugnas;
Dicunt Earinon tamen poetæ, &c:

Catullus epigr. 43. a partium enumeratione probat, Acmen, nec bellam, neque cum Lesbia comparandam esse.

Salue nec minimo puella naso,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore sicco,
Nec sanè nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani.
Ten' prouincia narrat esse bellam?
Tecum Lesbia nostra comparatur?

O se-

O ſeclum inſipiens, & infacetum.

A ſimili eſt hoc arguti poetæ in malos coniuges, libro octauo, epigr. 35.

Cum ſitis ſimiles, pareſque vita,
Vxor peſſima, peſſimus maritus;
Miror non benè conuenire vobis.

A repugnantibus iſtud eiuſdem poetæ, libro ſecundo, epigram. 55.

Æſtiuo ſerues vbi piſcem tempore, quæris?
In thermis ſerua Cæciliane tuis.

Ita de reliquis argumentorum ſedibus dicendum eſt; quarum omnium velle exempla ſubijcere, inutilis operæ, & ambitioſus foret labor. Vnus enim quiſque apud bonos auctores ea poteſt animaduertere. Equidem ad alia pergo.

Caput Quintum.

Partitio èpigrammatis iuxta tria cauſarum genera.

NEmo eſt, qui vel primoribus, quod aiunt, labijs oratoriam deguſtauit facultatem, qui tria illa cauſarum genera, & vt Ariſtoteles in libro primo Rhetoricor. cap. 4. loquitur, τὰ τῆς ῥητορικῆς εἴδη, *non*

audierit;

audierit; *Exornationis*, *Deliberationis*, & *Iudicij*. *Quorum numerum inde colligit magni ingenij vir Stagirites, quòd Auditor, ad cuius trutinam omnis oratio pensitanda est, in totidem genera reuocatur. Quippe qui audit, vel auscultat duntaxat, & hoc pacto constituit Exornationis genus, vel etiam æstimat, & vt Aristoteles loquitur*, est disceptator: *qui vel de re præterita statuit, vel de futura. Qui anteriorem dijudicat, est iudex, vnde Iudiciale genus: qui posteriorem ac futuram, de ea consultat, & deliberat: Hinc tria, nec plura, nec pauciora causarum consurgunt genera.*

Exornatio duas obtinuit partes, laudem, & vituperationem, (quanquam a potiori parte absolutè dicatur exornatio:) Tempus sortita est præteritum; nonnunquam etiam præsens: Finem, honestatem, & turpitudinem. Deliberationis partes sunt, Suasio, & Dissuasio: Tempus, futurum: Finis, vtilitas, aut damnum. Postremò, Iudiciale genus in se habet accusationem, & defensionem: Tempus, præteritum: pro fine, iustum, vel iniustum. Quæ omnia diligentissimè prosecutus est diuinus præceptor loco quem indicaui; & M. Tullius libro primo de Inuent. & in partitioni & in libris de Oratore, tum Quintilianus libro tertio Oratoriarum Inst. cap. 1.

Ad hæc ipsa genera causarum cuncta epigrammata reuocantur. Siquidem illa, quibus laudamus, siue homines, siue res alias; aut contra carpimus, exornatiui generis sunt. Quibus verò suademus, dißuademus, consulimus, hortamur, auertimus, petimus, inuitamus, consolamur, & id genus alia, deliberationi subijciuntur; Denique ad iudiciale genus ea referuntur, quibus accusamus, defendimus, exprobramus, &c. Quæ omnia nonnullis Veterum poetarum exemplis illustrare lubet.

Caput Sextum.

Exempla generis exornatiui.

EFfert laudibus Martialis Decianum, libro primo epigr. 40. à fide, eruditione, Candore animi, iustitia, honestate, innocentia, & constantia, eleganti hoc epigrammate.

Si quis erit raros inter numerandus amicos,
Quales prisca fides, famaque nouit anus;
Si quis Cecropiæ madidus, Latiæque Mineruæ
Artibus, & vera simplicitate bonus;
Si quis erit recti custos, imitator honesti,

Et

Et nihil arcano qui roget ore deos;
Si quis erit magnæ ſubnixus robore mentis;
Diſpeream ſi non, hic Decianus erit.

Hunc ipſum Catoni, & Thraſeæ, geminis Romanæ Reipub. miraculis antepoſuit eodem in libro, epigr. 8. Sic epigr. 37. dilaudat Lucanum, ac Tullum fratres, & Caſtori, ac Polluci præfert. epigr. 22. Mutium Scæuolam, epigr. 43: Portiam Bruti coniugem, epig. 112. Regulum. Libro quinto, epigr. 75. Pompeium libro ſexto, epigr. 32. Othonem. libro ſeptimo, epigr. 43. & 44. Ouidium. libro nono, epigram. 25. Carum. libro decimo, epigr. 19. Plinium. epigr. 37. Maternum. libro vndecimo, epigr. 6: Neruam. epigr. 49. & 51. Silium, & alibi alios.

Catulli eſt hoc de M. Tullio, quo cùm laudat eum, tùm ei gratias agit.

Diſertiſſime Romuli nepotum,
Quot ſunt, quotque fuere Marce Tulli,
Quotque poſt alijs erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, peſſimus omnium poeta:
Tanto peſſimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omium patronus.

Nec homines modo, ſed quæcunque aliæ res poſſunt in laudem venire. Comendamus agros, fontes, flu-

uios

uios, nemora, monimenta, vrbes, regiones, & vt ſemel dicam, nulla vnquam res eſt, quæ non poſſit affici laudatione, quorum exempla vbiuis occurrunt. Equidem vnum apponam, quod mel merum, & nectar ſpirat ſuauisſimum. Martialis eſt de Iſſa Publij catella, libro primo, epigr. 110.

Iſſa eſt paſſere nequior Catulli,
Iſſa eſt purior oſculo columbæ,
Iſſa eſt blandior omnibus puellis,
Iſſa eſt carior Indicis lapillis,
Iſſa eſt deliciæ Catella Publi.
Hanc tu, ſi queritur, loqui putabis,
Sentit triſtitiamque, gaudiumque:
Collo nixa cubat, capitque ſomnos;
Vt ſuſpiria nulla ſentiantur;
Et deſiderio coacta ventris,
Gutta pallia non fefellit vlla;
Sed blando pede ſuſcitat, toroque
Deponi rogat, & monet leuari.
Caſtæ tantus ineſt pudor catellæ,
Ignorat Venerem: nec inuenimus
Dignum iam tenerà virum puella.
Hanc ne lux rapiat ſuprema totam,
Picta Publius exprimit tabella,
In qua tam ſimilem videbis Iſſam,

Vt ſit tam ſimilis ſibi, nec ipſa.
Iſſam denique pone cum tabella,
Aut vtramque putabis eſſe veram,
Aut vtramque putabis eſſe pictam.

Altera huius generis pars, vt ſupra etiam monui eſt vituperatio. in quo quidem ordine eſt illud Catulli, epigram. 22. ad Furium.

Furi, cui neque ſeruus eſt, neque arca,
Nec cimex, nec arane , nec ignis
Verùm eſt & pater, & nouerca, quorum
Dentes vel ſilicem comeſſe poſſunt,
Eſt pulchrè tibi cum tuo parente,
Et cum coniuge lignea parentis.
Nec mirum; benè nam valetis omnes,
Pulchrè concoquitis, nihil timetis,
Non incendia, non graues ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non caſus alios periculorum.
Atqui corpora ſicciora cornu,
Aut ſiquid magis aridum eſt, habetis; *&c.*

Tum elegans hoc, deprom̃ptum ex ſententia Pauli, littera occidit:

Tu benè cauiſti, ne te vlla occidere poſſit
Littera; nam nulla eſt littera nota tibi.

Et Martialis, libro decimo, epigr. 2.

Scribere te, quæ vix intelligat ipse Modestus,
Et vix Claranus, quid, rogo, Sexte iuuat?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline, libris:
Iudice te maior Cinna Marone fuit.

Perstringit Sextum, & quidem meritò, quòd in scribendo fædum obscuritatis vitium affectaret, in quo tamen nōnulli κακόζηλοι hodie, vt eruditi, & antiquarij videantur, noctem suam mirificè rebus offundunt. Tu in luce versare, memor, quod nos loquimur, vt intelligamur.

Caput Septimum.

Exempla deliberationis.

HVius loci sunt omnia epigrammata, quibus suademus, dissuademus, consulimus, hortamur, inuitamus, & id genus, vt dixi, alia. Exempla hæc habe. Martialis, libro primo, epigram. 16. inuitat, suadetque Iulium ad vitam iucundè ac genialiter agendam, ab incerta ipsius vitæ conditione, a breuitate, ab ærumnis.

O mihi post nullos Iuli memorande sodales,
Si quid longa fides, canaque iura valent;
Bis iam pœne tibi consul trigesimus instat,

Et numerat paucos vix tua vita dies,
Non benè distuleris, videas quæ posse negari;
Et solum hoc ducas, quod fuit esse tuum.
Expectant curæque, catenatique labores,
Gaudia non remeant, sed fugitiua volant.
Hæc vtraque manu, complexuque assere toto;
Sæpe fluunt imo sic quoque lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere viuam;
Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

De vita humana est etiam hoc, sed longè alia via, nempe pia.

Mane oriens flos est, cinis est sub vespere vita:
Fide cinis; rursus flos generosus eris.

Adiungo lepidissimum illud Catulli epigramma, itidem de vita, quo suam Lesbiam sic hortatur.

Viuamus mea Lesbia, atque amemus,
Rumoresque senum seueriorum,
Omnes vnius æstimemus assis.
Soles occidere, & redire possunt;
Nobis, cum occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda, *&c.*

Dißuadet idem auctor, epigram. 23: Iuuentium, & auellit ab amicitia Furij,

O qui flosculus es Iuuentiorum,
Non horum modo, &c.

Martialis, libro primo, epigram. 26. adhortatur Faustinum, vt tandem sua scripta publici iuris faciat, & præmium laborum excipiat nominis celebritatem.

Ede tuos tandem populo Faustine libellos,
Et cultum docto pectore profer opus,
Quod nec Cecropiæ damnent Pandionis arces,
Nec sileant nostri, prætereantque senes.
Ante fores stantem dubitas admittere famam,
Teque piget curæ præmia ferre tuæ?
Post te victuræ, per te quoque viuere chartæ
Incipiant: cineri gloria rara venit.

Caput Octauum.

Exempla generis iudicialis.

Zoilum, seruum fugitiuum, & sepulchralem furem accusat Martialis, hoc carmine, libro vndecimo, epig. 55.

Vnguenta, & casias, & olentem funera myrrham,
Turaque de medio semicremata rogo,
Et quæ de stygio rapuisti cinnama lecto,
Improbe de turpi Zoile redde sinu.

Ape-

A pedibus didicere manus peccare proteruæ;
Non miror furem, qui fugitiuus erat.

Venustissimum est Catulli epigramma 12. in Asinium, qui secundùm cænam, vbi conuiuæ iam agerent genialius, seque poculis maioribus peterent, mappas, & sudariola negligentiorum suffurabatur: cum id facetum & lepidum esse existimaret, eundem leporem in Catullum aliquando exercuit, a quo laceratur hoc epigrammate.

Marrucine Asini manu sinistra
Non bellè vteris in ioco, atque vino.
Tollis lintea negligentiorum:
Hoc sallum esse putas? fugit te inepte,
Quamuis sordida res, & inuenusta est.
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri; qui tua furta vel talento
Mutari velit: est enim leporum
Disertus puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Expecta, aut mihi linteum remitte;
Quod me non mouet æstimatione,
Verùm est μνημόσυνον mei sodalis:
Nam sudaria setaba ex Iberis
Miserunt mihi muneri Fabullus,
Et Verannius. Hæc amem, necesse est,

Vt

Vt Veranniolum meum, & Fabullum.

Incessit alio epigrammate Thalum, qui sibi pallium, sudariumque setabum, & catagraphon linum subduxerat; cui, nisi ille ab vnguibus reglutinet, remittatque, flagella interminatur. Huius argumenti epigrammata, plena facetiarum inuenies apud Martialem, vt libro octauo, epigr. 48. de lusco mappario fure, quo nihil, ait, furatius, & cuius piceata dextera omnia tacta adhærebant. Et libro duodecimo, epigr. 25. viginti quinque lepidissimis versibus exagitat Hermogenem consimilem furem; vt tandem concludat,

Ad cænã Hermogenes mappã nõ attulit vnquã,
A cæna semper rettulit Hermogenes.

Quod verò ad alteram Iudicij partem, nempe defensionem, attinet, suppeditet nobis exemplum idem auctor, libro secundo, epigram. 8. quo loci se ipsum ita tuetur, ac defendit.

Si qua videbuntur chartis tibi Lector in istis
Siue obscura nimis, siue latina parum,
Non meus est error: nocuit librarius illis,
Dum properat versus annumerare tibi:
Quod si non illum, sed me peccasse putabis,
Tunc ego te credam cordis habere nihil.
Ista tamen mala sunt, quæ si manifesta negamus;
Hæc

Hæc mala ſunt; ſed tu non meliora facis.

Quemadmodum ergo, vt hanc epigrammatis partitionem claudam, omnis oratio tripartita illa varietate comprehenſa eſt, ita quodcunque epigramma, ad vnum aliquod ex præfatis cauſarum generibus, reuocetur neceſſe eſt. Sed alio etiam pacto boni auctores hoc poematium diuiſere, id vt videamus, ſit,

Caput Nonum.

Diuiſum epigramma iuxta varia poematum genera: Hæc breuiter explicata: tum aſſignata epigrammatis materia.

POeſis omnis in imitatione poſita eſt, vt Ariſtoteles in libro de poetica non ſemel teſtatum reliquit. Imitatur verò agentes ac negotiantes; quorum alij quidem ſunt meliores ac præſtantiores hominibus illius tempeſtatis, in qua poeta ſcribit, vt Heroes, & homines ſingulari aliqua virtute ſupra communem cæterorum hominum conditionem euecti; quos imitari, & colere æquum eſt. Alij verò ſunt peiores ac deteriores, vt Ciclopes, & homines derídiculi, quos irridere ac parui facere haud dedecet. Alij denique medium inter

ter hosce locum obtinuere, qui quidem in quadam vitæ æquabilitate consistunt, similes plerumque hominibus illius æui, in quo poeta componit. Quemadmodum ergo in pictura, iurata huius facultatis sorore, Polygnotus quidem meliores, Pauson verò deteriores, Dionysius autem similes pingebat, *auctore Aristotele, loco nuper commemorato, sic euenit in poesi, quæ etiam pictura loquens appellitatur, sicut pictura vocatur poesis silens.*

Ex qua quidem scatebra dimanant omnes poeseos formæ, ac differentiæ. Pars etenim illa, quæ primum hominum genus, meliorum præstantiorumque imitatur, si in scenam prodit, graui metricaque oratione exculta, grandique armata cothurno, necnon exitu (vt videtur) infelici & calamitoso, constituit Tragædiam, in qua videmus Principes, Reges, atque vt ille ait, Tetrarchas exagitari, quorum illustris fortuna miserabili meta clauditur. Id licet animaduertere in Tragædijs Sophoclis, Euripidis, & Senecæ. Sin autem extra scenam versu magno atque hexametro aliquem Heroem, & vt Horatius loquitur, res gestas, Regumque, ducumque, & tristia bella *celebrat, fit Epopeia: qualis est Homeri Ilias, & Vlyssea, necnon Æneis Virgilij. Postremò, si ad lyram, & alia musica instrumenta, Deorum, He-*

roum, fortiumque virorum laudes, & facinora miratu & memoratu digna, non sine aliqua imitatione decantantur, consurgit ea poeseos pars, quæ Lyrica, & Melica nuncupatur. Cuius sunt Deorum hymni, Pæanes, Mele, Ode, Scolia, idque genus alia, vt legimus apud Pindarum, Horatium, &c. Non me fugit hac ipsa poeseos parte permultos scriptitasse etiam hilaritates, & curas amatorias: quia nimirum præstantes etiam viri, & heroes haud rarò γλυκύπικρον illum Deum senserunt. Ad hoc ipsum imitationis genus reuocatur Dithyrambus, carmen in Liberi patris honorem cantari solitum, quia Bacchus bis natus, & binas quasi θύρας fores transijsse fingebatur.

Imitatio verò peiorum, ac deteriorum, si in scenam exeat, stylo populari, itemque metrico, soccis ornata, hilari & læto exitu, efficit Comœdiam. Est enim Comœdia peiorum imitatio, non secundum omne vitium, sed pro ridiculo, quod a turpi proficiscitur, *inquit Magnus præceptor, in libro de Poetica cap. 7. Quo fit, vt in ea personæ quoque introducantur humiles, viles, abiectæ, vt Sycophantæ, Strepsiades, Chremetes, Daui, Thaides, &c. loquor de syncera Comœdia, nam togatæ, & palliatæ huc non spectant: Extra scenam autem fit Pastorale; poëma omnium sanè antiquissimum; cuiusmodi*

sunt

sunt Theocriti Bucolica, & Maronis Eclogæ:

Imitatio denique mediæ hominum conditionis, per se ipsa nullum poeseos genus efficit, sed supra enarratis generibus, prout res tulit, commiscetur. Etenim neque in Epopeia perpetuò Heros loquitur, sed alij quoque minorum gentium: nec Tragædia tota in Regum ac ducum personis occupatur, sed alios adhuc minutiores inducit: nec denique omnes Comœdiæ personæ exprimuntur deridiculæ, sed multæ etiam medij status. Ad hunc hominum statum reuocari etiam possunt amatoria, & lugubria; sed de his vberius edisserere, locus hic vetat.

Præter isthæc poeseos genera, sunt adhuc quædam poemata, in quæ minus poesis ipsa cadit, quòd in illis nulla adsit imitatio. Eorum duo sunt genera, alterum Theologicum, quale Orpheus, & Amphion scripsere, enarrando sacra, & cerimonias illius æui: Apud nos esset Prudentius, & Boetius. Alterum genus Philosophicum: idque duplex, Naturale, cuiusmodi elaborarat Empedocles, Aratus, Nicander, Lucretius. Morale, idque secundum suas partes, vt Politicum a Solone, & Tyrtæo: Oeconomicum ab Hesiodo: Commune a Phocylide, Pythagora, & Theognide.

Nunc ad propositum: Epigrammata ritè in

omnibus, quæ hucuſque percenſui, pœmatum generibus collocantur: etenim illa, quibus quocunque modo proſequimur rei cuiuſpiam laudationem, ſpectant ad Epopeiam, vel ad Lyricam; de quibus, quia ſupra complura adduxi, hic verbum non addo. Ea verò, quæ res triſtes, funebres, atroces, calamitoſas comprehendunt, quæ multum habent doloris, & commiſerationis, maximè ſi mala & aduerſa innocuo & immerenti vel caſu vel fortuna acciderint, propria ſunt Tragædiæ; quorum ſeges ampliſſima eſt apud Græcos æquè ac Latinos. Apud illos plurima offendes libro quarto Anthologiæ Græc. in Priamum, Hectorem, Aiacem, Achillem, &c. Apud hos, in Cæſarem, Pompeium, Catonem, Portiam, alios. Nobis multò illuſtriora ſuppeditant Heroes noſtri, Heroideſque Martyres: Equidem vnum de Seruatore noſtro ſubijciam, e cuius θεανθρώπου Deiuirili *perſona, vide quot contraria, quàmque affectus, & commiſerationis plena colliguntur.*

Ecce cruci affixũ, quo cuncta mouente mouētur,
Cuius cuncta bibunt fontibus, ecce ſitit.
Qui fabricat brutis, auibuſque ſedilia, pendens
Nil ſua quo ceruix ſuſtineatur, habet.
Eſt nudus largitor opum; ſpecioſior aſtris
Liuet; & eſt iuſtus victima pro ſcelere.

Qui

Qui dat ſceptra, gerit de ſentibus ecce coronam;
Latrones inter gloria ſumma probro eſt.
Quique refrigerium eſt, ipſe eſt ſolaminis expers,
Et vitæ Dominus mortuus ipſe iacet.
Hæc dixiſſe velim: ſed tu memor eſto, tot, atq;
Tanta, tui cauſa ſuſtinuiſſe Deum.

Poſtremò, alia epigrammata ad Comœdiam reducuntur: Verùm quemadmodum hæc in triplici ſtetit ſcena; alia quippe fuit Comœdia vetus, quæ peccata hominum ſingillatim, ac nominatis perſonis reprehendebat, & vt Horatius, libro primo, ſerm. ſatyra 4. loquitur.

Si quis erat dignus deſcribi, quòd malus, aut fur,
Quod mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus, multa cum libertate notabat.

In qua quidem viguerunt Ariſtophanes, Cratinus, Eupolis, Phrynichus, Theopompus, Archippus, Plato comicus, Theleclides, Pherecrates, Crates, alij complures. Alia fuit Media, in qua ſupprimebatur quidem nomen, at nihilominus per inuolucra quædam, ac tegumenta inſinuabatur ille, in quem maledictionis mucro perſtringebatur. Tandem fuit Comœdia Noua: in ea ioci duntaxat & ſales in humiles & abiectas perſonas effundebantur. Sic epigrammatum quædam reſpondent priſcæ Comœdiæ, quæ aliena errata ſin-

ſingillatim & ex nomine taxant; qualia ſunt apud Catullum in Thalum, in Furium, in Mamurram, in Cæſarem, in Memmium, in Aurelium, &c. A qua quidem labe immunem ſe iactat argutus poeta, dum in ſua epiſtola ad primum librum, ſuos ait libellos, tale conſecutos temperamentum, vt ſalua infimarum quoque perſonarum reuerentia ludant. *Et libro quinto, epigr. 15. ad Domitianum ſic canit.*

Quintus noſtrorum liber eſt, Auguſte, iocorum,
Et queritur læſus carmine nemo meo.

Et libro decimo, epigr. 33.

Hunc ſeruare modum noſtri nouere libelli;
Parcere perſonis, dicere de vitijs.

Et alibi iurat ſe innocuo carmine luſiſſe.

Ludimus innocuis verbis: Hoc iuro potentis
Per Genium famæ, Caſtalidumque gregem

Modò præſtiterit. Profectò quamuis plurima apud eum nomina pro lemmate affixa, ſuppoſititia ac ficta exiſtimem, attamen nullus ambigo, quin illi vera quoque multorum nomina nonnuquam exciderint, & vera vitia fuerint exagitata,

Quædam verò epigrammata ſubſecutæ Comœdiæ affinia ſunt, cum ſuppreſſis nominibus, tamen per ambages & circuitiones verborũ indigitatur is, in quem telum dirigitur: in qua quidem acie non ſemel

etiam

etiam pugnauit Martialis, vt vel ex hoc carmine, libro secundo, epigr. 57. intelligimus.

Hic, quem videtis gressibus vagis lætum,
Amethystinatus, media qui secat septa;
Quem non lacernis Publius meus vincit,
Non ipse Codrus alpha pænulatorum,
Quem grex togatus sequitur, & capillatus,
Recensque sella, linteisque, lorisque,
Oppignerauit ad Claudi modo mensam
Vix octo nummis annulum, vnde cænaret.

Alia denique sapiunt Nouæ Comœdiæ iocos & soles; quale est isthuc Martialis, libro tertio, epigram. 94. in Rufum.

Esse nēgas coctum leporem, poscisque flagella:
Mauis Rufe cocum scindere, quàm leporem.

Et facetissimum hoc, ex græco Antholog. libro secundo, cap. 3. translatum.

Lis agitur, surdusque reus, surdus fuit actor,
Ipse tamen iudex surdus vtroque magis:
Pro ædibus hic petit æs, quinto iam mēse peracto:
Ille refert: Tota nocte mihi acta mola est.
Aspicit hos iudex: Et quid contenditis? inquit.
An non vtrique est mater? vtrique alite.

Complura etiam sunt epigrammata, quæ ad reliqua illa poemata, nimirum Theologicum, Naturale, Morale

rale reuocantur. Ex primo fonte eruta sunt quæ hic subijcio: & quidem de Verbi Diuini Incarnatione, hoc perlege.

Vix hominem insigni similem sibi finxerat arte,
Cum subitò est hominis tactus amore Deus.
Vt tamen auerso fugientem vidit amore,
Qualis præcipites dum rotat amnis aquas;
Quid faciam? dixit; quoties mihi iungere conor,
Ex oculis toties euolat ille meis.
An perimam? ast hominis nimio succēdor amore:
An sequar? at fugiet, quò magis ipse sequar.
Haud sequar, haud perimā: ne se mihi subtrahat vnquam
Neue Deum fugiat, mox erit ipse Deus.

Tum elegans illa antithesis de ortu, & morte eiusdem Christi Domini.

Clara dies, oreris media dum nocte, refulget:
Dum moreris, medio nox ruit atra, die.
O verum Solem supera inter lumina, quo lux
Exoriente oritur, quo fugiente fugit.

Sed iam finis sit in re propemodum infinita. Materia autem epigrammatis, quod etiam initio huius capitis quærebatur, vnico verbo; sunt res omnes.

Caput

Caput Decimum.

De epigrammatis dictione.

Epigramma in semetipso spectatum, eiusque partitionem, ac materiam, hucusque contemplati sumus: nunc ipsius forma, nempe dictio perpendenda est: Verùm si in omni oratione magna est adhibenda diligentia, vt ea emendata, delucida, & ornata sit, in epigrammate adhibenda est quammaxima; quod quia exiguum quippiam ac perbreue est, ictu oculorum concluditur: Quippe quemadmodum qui est in facie næuus, statim intuenti obijcitur, ita quod in epigrammate vitium, statim legenti.

Sit ergo eius dictio pura, syncera, elegans, nitida, lecta. Exornetur omnibus illius linguæ, in qua scribimus luminibus, illustretur coloribus, varietur modis, condecoretur figuris. Inspergatur salibus, acrimonia, mollitie, omni denique gratiarum, affectuum, & facetiarum genere, vbi exposcit res. Nihil prætereatur, quominus hoc poematium, cultum, limatum, expolitum, placidum, ita in conspectum legentium prodeat, vt lectum ac repetitum, iterum atque iterum placeat.

Fugienda sunt hic verba peregrina, (quamuis de istis mox nonnihil audies) impura, aspera, sordida, lutulenta, quibus sit quod tollere possis. Fugienda popularia, abiecta, obsoleta, e triuijs, & plaustro petita. Illud verò cane peius, & angue vitandum est, ne vllum in epigrammate ociosum, redundans, & superuacaneum verbum adijciatur, quod ad explendum potius versum, quàm ad significandam rem intrudatur. Longè maius negotium incumbit in epithetis, (apposita vocat M. Tullius) in quibus sæpenumero plerique peccant, dum ea potius ad numeros, & pedum dimensionem explendam appendunt, quàm ad exprimendam rem, & illustrandam sententiam. Ridiculi quidem ipsi, ac deridendi, quos fugit, epitheta debere perinde fulcire & ornare orationem, atque exornant fibriæ, cæteraque ornamenta vestem: Unde ex vsu fuerit, accuratè animaduertere, quomodo ijs boni auctores, Virgilius, Horatius, Catullus, Martialis, Ouidius & alij huius clasfis vsi sint, quorum orbitam si sequare, tutò incedes. Nec tamen inficias iuerim, posse aliquando recentem componi vocem, siue ex noua aliqua verbi coniunctione, siue etiam ex peregrina, si res nuper inuenta, vel vsus postulet.

Caput

Caput Vndecimum.

De dictionibus peregrinis: tum distortis, ac vitiosis, a bonis auctoribus in epigram. adhibitis.

VEra sunt, & veris ipsis veriora, quæ de epigrammatis dictione hucusque edisseruimus; nihilominus poetarum licentia haud rarò aduenas & peregrinas voces non sine decore & iucunditate interserit. Initium expediam a Græcis, sed hoc vnum Palladæ carmen ex libro primo, Antholog. Græc. cap. 42. apponam, in quo ille ex composito vocem domine, *&* frater *inter græcanicas ponit:* lemma, *& quidem satis elegans, sic habet.*

ἢν ὁ φίλος τὶ λάβῃ, δόμινε φράτερ εὐθὺς ἔγραψεν,
ἢν δ' αὖ μή τι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον
ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα αὐτὰρ ἔγωγε
οὐκ ἐθέλω δόμινε, οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.

Quod ita latinum fecimus, non quòd græcum candorem consequi speraremus, sed hoc solum, vt eius argumentum a græcarum litterarum rudibus intelligi possit.

Te dicet dominum fratrem, si mittis amico
Munera; si nil des, non nisi frater eris.
Sunt igitur verba hæc venalia. Pauper at ipse
Dò minus, vt munus, nemini ero dominus.

In quam sententiam ita ludit argutus poeta, libro sexto, epigram. 88. qui cum forte Cæcilianum vero nomine salutasset, nec addidisset dominum meum, *sportula multatus est:*

Mane salutaui vero te nomine casu,
Nec dixi dominum, Cœciliane, meum.
Quanti libertas constat mihi tanta requiris?
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

Transeo ad Latinos, qui porrò in alienis vocibus, maximè verò græcis, suis operibus interserendis frequentiores extitere. Martialis, libro secundo, epigr. 6. ad Seuerum,

I nunc edere me iube libellos,
Lectis vix tibi paginis duabus,
Spectas ἐσχατοκωλικὸν Seuere

Et libro primo, epigram. 28. ad Procillum.

Tu factam tibi rem statim putasti,
Et non sobria verba subnotasti,
Μισῶ μνήμονα συμπότην Πρόκιλλε.

Et epigrammate 46.

Edita ne breuibus pereat mihi charta libellis,
Dicatur

Dicatur potius τὸν δ᾽ ἀπαμειβόμενος

Tum libro ſecundo, epigram. 43. ad Candidum.

Candide κοινὰ φίλων, hæc ſunt tua Candide πάντα,
Quæ tu magniloquus nocte, dieque ſonas, &c.
Ex opibus tantis veteri, fidoque ſodali
Das nihil, & dicis Candide κοινὰ φίλων

Et libro nono, epigram. 13. de Earino, & epigr. 96. de Hippocrate.

Tam ſtupidus nũquam, nec te puto, Glauce fuiſti,
Chalcea donanti, Chryſea qui dederas.

Homeri eſt Iliad. ζ. χάλκεα χρυσείων, &c. Catullus, epigram. 12. in Aſinium.

Quare aut hendecaſyllabos trecentos
Expecta, aut mihi linteum remitte,
Quod me non mouet æſtimatione,
Verúm eſt μνημόσυνον mei ſodalis.

Lucretius, libro quarto, de reb. nat.

Nigra, μελίχροος eſt: immunda & fætida, ἄκοσμος:
Cæſia, παλλάδιον, neruoſa & lignea, δορκάς:
Paruula, pumilio, χαρίτων ἴα, tota merum ſal:
Magna, atq. immanis, κατάπληξις, plenaq. honoris:
Balba, loqui non quit, τραυλίζει, &c.

Auſonius hac in parte nimius: exſcribam vnicum eius epigramma, 39. De Chriſto, & Acindyno.

Χρῆστος, Ακίνδυνος εἰσὶν ἀδελφοὶ, οἰκτρὰ δὲ τέκνα.

Mori-

Moribus ambo malis nomina falſa gerunt.
ὀυ δ' οὗτος χρηστὸς, οὐ δ' οὗτος ἀκίνδυνός ἐστιν,
Vna poteſt ambos littera corrigere.
αἴκεν Χρῆστος ἕλῃ, καὶ Ἀκίνδυνος ἄλφ' ἀπολέσσῃ,
Κίνδυνος hic fiet, frater ἄχρηστος erit.

Lege apud eundem epigramma 27. in Antiſthenem, epigr. 28. de Baccho, epigr. 31. in Sappho, epigr. 117. & 120. in Eunum Liguritorem, Ludum ſeptem Græciæ ſapientum, epiſtolam 12. &c. Sic alij quoque poetæ probatiſſimi luſere quos referre, & longum eſt, & non neceſſarium.

Iam verò diſtorta ac vitioſa dictione, ſine vitio vſi ſunt: idque vel in cuiuſpiam contemptum, ac deriſum, vel quia vox malè copulata, diſſona, ac barbara, altè in ſenſus ingeritur, ideòque vel riſum excitat, vel admirationem. Huiuſmodi eſt argutum iſthuc Martialis.

Non es, crede mihi bonus: quid ergo?
Vt verum loquar, optimus malorum.

Et libro duodecimo, epigr. 93. in Zoilum,

Mentitur, qui te vitioſum Zoile dixit:
Non vitioſus homo es Zoile, ſed vitium.

In illo, diſtorta copulatio: quid monſtri? optimus malorum. *In hoc, Solœgiſmus eſt, dum abſtractum,* vitium, *pro concreto ponitur. Sic illud Auſo-*

nij, epigr. 49. in Rufum Grammaticum, qui vocatus, ad nuptias deprecatur, vt sponsi gignant filios masculini, fœminini, & neutrius generis.

Rufus vocatus rhetor olim ad nuptias,
Celebri fit vt in conuiuio,
Grammaticæ vt artis se peritum ostenderet,
Hæc vota dixit nuptijs:
Et masculini, & fœminini gignite,
Generisque neutri filios.

Et epigrammate 47. de eodem Rufo.

Reminisco Rufus dixit in versu suo,
Cor ergo versus, immò Rufus non habet.

Sed hic temperare me nequeo, quin celebre Catulli epigramma in Arrium adijciam: Barbarismi sunt chommoda, hinsidiæ, Hionios. Carmen sic iacet.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & hinsidias Arrius insidias:
Et tunc mirificè sperabat se esse loqutum,
Cum quantum poterat, dixerat hinsidias.
Credo sic mater, sic liber auunculus eius,
Sic maternus auus dixerat, atque auia.
Hoc misso in Syriam requierant omnibus aures,
Audibant eadem hæc leniter, & leuiter.
Nec sibi post illa metuebant talia verba,
Cum subitò affertur nuncius horribilis,

Ionios

Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Iam non Ionios esse, sed Hionios.

De quo quidem epigrammate adi, si vacat, Quintilianum, libro primo, Orat. Inst. cap. 9. & Ang. Politianum in Miscellaneis, cap. 19. ubi quædam notatu digna de aspiratione adnotauit. Iacet etiam barbarismus in Anthologia Græca, tum alibi, tum libro secundo, cap. 10. in Grammaticos. ὦ τλῆμον κινέγερς. *Veruntamen ut dictio, unicuique epigrmmati ritè & ex iudicio, ut eius materia, & conditio fert, adhibeatur, lubet hic de ea paullo uberius edisserere: quare sit.*

Caput Duodecimum.

De Ideis, seu formis orationis: quid illæ, & quot.

NOn quæcunque res conuenienter quauis oratione exponitur, quemadmodum nec quæcunque persona decenter quouis indumento vestitur; sed pro varietate rei, loci, temporis, & occasionis, oratio quoque varietur necesse est. Quod ut assequamur, operæprecium est, quasdam formas, atque ideas cogitatione

com-

complecti, ad quarum inspectum, hoc vel illo modo nostræ orationis cursum & structuram moderemur: perinde atque ædium V. G. artifex, prius intra semetipsum domum concipit, ad cuius formam ac simulachrum internè intuens, construit externum ædificium. Hanc ob causam istiusmodi orationis formæ, ab Hermogene, Plutarcho, & alijs appellatæ sunt orarionis ideæ: ab alijs, characteres, a nonnullis styli genera. M. autem Tullius in Oratore vocat dicendi genera, Et, orationis formas.

Quæ formæ, neque res ipsæ sunt, quæ substernuntur orationi, nec verba ipsa atque oratio; sed est nota quædam & ratio, quæ ex ambobus iunctim consurgit. Res illustratur exemplo: In aliquo nummo hæc tria perpendimus; metallum, videlicet æs, argentum, vel aurum: Cuneum, siue sigillum: Et ipsam principis notam ac faciem, quam cuneus imprimit, quod Græcè est χαράττειν, vnde χαρακτὴρ: sic in oratione, res comparantur metallo: verba, cuneo: nota, atque facies, quæ in oratione animaduertitur, est ea forma, & character, de quo loquimur. Latini dixere stylum: quo quidem intellectu dicere consueuimus, Ciceronis stylum, aut Sallustij esse vel Plinij stylo, vel Quincti Curtij grandiorem.

Porrò dicendi magistri characteres omnes, & ora-

tionis formas ad tres redegerunt. ἁδρὸν, ἰσχνὸν. μέσον. *Et quidem primum M.Tullius vertit grandiloquum: Aulus Gellius, uberem: Scaliger, generosum: alij magnificum, nonnulli plenum, quidam altiloquum, non nemo, magnum, plerique amplum, summum, sublimem. Viden' quàm multa congeruntur, ut una græca vocula enucleetur? Ut ut nomen habet, rem accipe. Consurgit sublime hoc dicendi genus, cum uerbis elegantibus ac sonoris, oratione numerosa, varijsque luminibus acuminata, cum ampla quadam sententiarum grauitate, compositè, vehementer, grauiterque eloquimur. Vnde etiam huic orationis formæ quasi perpetui comites assident, Dignitas, Sonus, Grauitas, Vehementia. Quinimo res etiam quæ huic subijciuntur, illustres & excellentes sint oportet: Quanquam non negem, de rebus etiam humilibus magnificè, & sublimi hac dicendi forma posse nonnunquam dici. Quid prohibet, quin de Deo Opt. Max. cùm summo, tùm infimo, tùm mediocri charactere dicas? aut contra de rebus humilibus, si locus, & occasio poscat?*

E regione stat ἰσχνὸν *dicendi genus, quod M. Tullio est tenue ac submissum; Aulo Gellio gracile; alijs subtile; nonnullis, infimum. Fit autem, cum oratione pura, pressa, simplici, exili aliquid prosequimur: omnia docentes, & dilucidiora, non ampliora facientes. In*

quo

quo etiam genere, alij callidi, ſed impoliti, conſultò rudium ſimiles, & imperitorum. Huic perpetui ſocij, Tenuitas, Puritas, & ex communi loquendi conſuetudine ſumpta locutio. Tum quædam ſimplicitas, nempe oratio non figurata. Res etiam plerumque humiles, vt ſunt agricolæ, paſtores. quales videmus in Comœdijs. Paſtoralibus. Quod ſi vnquam de magna quapiam atque excellenti re irrepat oratio, eam tenuiter ac populariter loquitur. Sic præſtanti ingenio vir Maro, cum hoc ſtylo de Ioue V.G. loqueretur, non illi bellorum poteſtatem, non Cælorum imperium, non dedit fulmina, nutumue, quo totum tremefactat olympum, *ſed ait, illum permiſiſſe ſuas errare boues, & agreſti calamo ludere, quæ vellet.*

Denique eſt μέσον, *medium, mediocre, æquabile, temperatum, frugale, dicendi genus. Hoc vtriuſque iam enarrati eſt particeps, vel potius ùtriuſque expers. Fluit uno tenore, figuras minimè reſpuit, nec ijdem multùm ornatur: Quo fit, vt in illo, tenue & infimum ſuperet, in hoc, a magniloquo & ſublimi ſuperetur. Quod quidem cum ex arte, & iudicio perfectum eſt, explet animum: quippe ſublime ac plenum hæret, & cunctatur in ore, in auribus, in animo: Tenue ob exilitatem fluit, & uix aut ne uix quidem mouet: Medium & æquabile reuoluitur leni lapſu per-*

mulcens auditorum expectationem.

Hisce tribus orationis Ideis ac formis, opponuntur tria vitia. Stylo magniloquo & sublimi, surrepit sufflatus: Tenui, squalidus & ieiunus: Medio, incertus, & ambiguus.

Caput Decimumtertium.

De quibusdam dictarum formarum proprietatibus.

ASsociantur præfatis dicendi generibus, quædam attributa: sed hoc discrimine, quod nonnulla sunt omnibus tribus communia & perpetua. Alia, communia quidem omnibus, at non perpetua. Quædam uerò unicuique orationis formæ peculiaria: quæ quidem, ad uberiorem huiusce doctrinæ segetem, leui brachio nunc attingam.

Attributa communia ac perpetua cuicunque orationis Ideæ sunt tria. Perspicuitas, Numerositas, Venustas. Prima, profectò prima ac præcipua cuiuscunque orationis statuitur uirtus. Cuius rei signum est, *inquit Stagirites, libro Rhetoricorum tertio,* quòd nisi

nisi oratio rem declaret, finem suum non assequetur.

Huic opponitur obscuritas, fœdum orationis monstrum. Vt ergo aer perspicuus ac pellucidus, uisilem rei speciem transmittit ad oculos, contra uerò obscurus ac turbidus impedimento est, quominus rem aspicias, ita hæc orationis uirtus præstat, ut animus noster ad rem usque per uerba significatam pertingat, eam intelligat, ac sine labore contempletur, unde quædam etiam suboritur delectatio; Ex aduerso in oratione obscura ac tenebricosa hæret animus, obtunditur, hebetatur: Hinc nausea, fastidium, contemptus.

Orationem uerò perspicuam faciunt hæc quinque. Vocum proprietas, uerba non ambigua, rectus compositionis ordo, non in longum dilata conclusio; & si nihil neque desit, neque superfluat.

Vocum proprietas hic non excludit translationes: secus haud esset orationi perpetua: tum quia sæpissimè utimur metaphoris; tum etiam quia non rarò propria nomina ex composito uitamus, si sunt obsæna, sordida, humilia. Sed uocum proprietas est vis quædam significandi ex usu hominum, aut Doctorum.

Contra quam quidem conditionem peccatur primò, cum aliquod uerbum Genti cuipiam, vel Arti proprium ac peculiare adijcitur in oratione, quod quia

est

est præter communem hominum vſum, obturbat. Talia ſunt, exempli cauſa Paraſanga, menſuræ genus apud Perſas, Maſtruca, veſtis genus, qua Sardi vtebantur, Magalia, tuguria paſtoritia, Pœnum lingua, Carbatinæ, calceamenti ruſtici genus, &c. Artis verò, vt nauis Saccaria, pro ſuccorum mercatura, Carthesium, Fiſtuca, facere pedem, idque genus alia, quæ porrò aut vitanda, aut ſi res ita ferat, explicanda ſunt.

Secundò, inuoluunt atque intricant frigidæ quædam & inanes circumſcriptiones: quæ ſicut ad amplificandum multum habent penſi ac ponderis, vbi opportunè & ritè conficiuntur, ita denſas offundunt noctes, ſi ſecus fiunt. Vt ſi medicus, (*quod eſt exemplum Ciceronis*) ægroto imperet, vt ſumat terrigenam, herbigradam, domiportam, ſanguine caſſam; *potius, quàm hominum more dicere velit cochleam.*

Tertiò, extinguit perſpicuitatis lucem, antiqui & obſoleti verbi obſcuritas. In quo malo a multis etiamnum laboratur, qui dum reconditæ neſcio cuius eruditionis famam affectant, miſerabili fame tabeſcunt: & qui ſtultis eruditi videri volunt, ſtulti ab eruditis iudicantur. Talia uerba ſunt, vt antigerio, pro ſtatim. volupe, ſiue etiam uolup pro uoluptate, te-

per,

per, sagmina, & huiusmodi alia, quæ re multò magis, quàm uerbis refuntanda sunt. Vbi tamen haud omninò negauerim, quin possit aliquando antiquum verbum, non illud quidem distortum, neque ex ultima vetustatis ruditate repetitum, scripto interseri: immò etiam grauitatem quandam & ornamentum aliquando conciliabit, sed loco, modo, & iudicio adhibitum; quod quidem acerrimi iudicij uir Maro non semel fecit, in cuius diuino poemate, Olli, & quianam, & mis, & pone, pellucent ad aspergendam illam, quæ etiam in picturis est grauissima, uetustatis admirabilem arti auctoritatem, ut loquitur Quintilianus, libro octauo, Orat. Inst. cap. 3.

Secundò, (redeo ad perspicuitatis uirtutes) causant perspicuitatem orationis uerba non ambigua. Ambiguum duplex. In simplici dictione, ut taurus, qui tum animal significat, tum montem, tum in cœlo signum: Et in contextu atque sermonis continuatione, quod euenit, cum uerba non ita iunguntur, ut ea iungi, & collocari oportet, ut si quispiam dicat; testamento lego, erigi N. statuam auream hastam tenentem: incertum, statua ne, an hasta esse debeat aurea.

Quò spectat etiam illud Heracliti, relatum a Stagirite, libro Rhetoricorum tertio, rationis eius quod est semper ignari sunt homines. *Neque hæc solum, sed quæuis*

sermo-

ſermonis ambiguitas, omni ope uitanda eſt: de qua adeundus eſt Quintilianus, libro octauo, Inſt. Orat. cap. 2.

Tertio loco perſpicuitatem efficit rectus quidam compoſitionis ordo, cùm in ſingulis uerbis, tùm etiam in contextis. In illis, ut uocabulis minus fortibus ſubiungamus fortiora, quò creſcat & inſurgat oratio, vt petulans, latro, ſacrilegus: quæ ſi loco dimoueas, decreſcit ſanè ac deturpatur locutio. Eſt quoque in vocibus naturalis quidam ordo, quippe dicimus diem, ac noctem; ortum, & occaſum; virum, & vxorem non e contra.

In contextis autem, ſi prioribus conſequentia reſpondeant. id M. Tullius in Partitionibus vocat conſecutionem, cum genera, numeri, tempora, perſonæ, coniunctiones, caſus diligenter obſeruantur. nam vt in ſimplicibus verbis quod non eſt latinum, ſic in coniunctis quod non eſt conſequens, vituperandum eſt.

Quartò, ſi periodus, in magnitudine nequaquam excedat, nec tam vaſta diducatur, vt iniectis & cumulatis alijs atque alijs rebus ac ſententijs, eouſque protrahatur, vt neque auditoris attentio proſequi, nec dicentis poſſit durare ſpiritus.

Poſtremò, vt in oratione neque deſit aliquid, neque

ſuper-

superfluat. Vbi tamen si ad alterutrum flectendum est, satius existimo in oratione quippiam desiderari, quod auditor supplere possit, quàm superfluere. Sic euenit, ut cum ille rem intellexerit, acumine suo delectetur; & gaudeat, non quasi audiuerit, sed quasi inuenerit. Vetus est verbum, magis offendere nimium, quàm parum. *Hæc de perspicuitate orationis.*

Altera communis ac perpetua orationis proprietas est numerus, nempe congruus quidam sonus ex recta dictionum collocatione. Hic in oratione prosa ac pedestri Rhythmus appellitatur: in poetica Metrum: sanè poeseos anima. Cadit quidem in omnem orationem, nec est ullum dicendi genus, quod numerorum omninò sit exprers, sed alio atque alio modo unum quodque numeris exornatur, ut optimè docuerunt Aristoteles, libro tertio, Rhetoric. M. Tullius in Oratore, & de Partitionibus, Quintilianus, & Iouita Rapatius quattuor integris libris.

Postrema huius classis proprietas est Venustas. Porrò venustum est quod dicitur cum quadam gratia, & lepore. Consurgit ex prudenti vocum electione, & apta earumdem collocatione, perinde atque in probis & honestis mulieribus conspicitur quidam decor. Verùm hæc virtus in præfatis dicendi generibus non uno modo solet adhiberi. In sublimi exultat artificiosa atque ela-

borata; sicut in aliqua Regina emicat quidam nitor. In Infimo, est plana & prope natiua; qualis in muliere ciui quædam mundities, & habitus honestus. In Medio, paullo comptior, atque ex arte modica temperata, quam non immeritò pulchritudini matronæ cuiuspiam comparaueris. Et quidem de communibus, ac perpetuis orationis proprietatibus hæc delibasse satis: nunc ad alias pergo.

Sunt itaque alia attributa, & affectus, communes itidem omnibus dicendi generibus; at non perpetui, sed vbi res tulit. Talia in oratione sunt molle, asperum, incitatum, remissum, suaue, acre, vehemens, pacatum, breue, longum, idque genus alia. His non vbicunque est locus. Deridendus sanè, & exsibilandus foret, quisquis perpetua oratione his vteretur, sed opportunè apposita, gemmarum instar pellucent. Quibus verò præceptionibus istorum vnum quodque paretur, non est præsentis instituti docere.

Nunc venio ad illud, cuius gratia, hæc omnia docui: qua nimirum orationis forma, seu dicendi genere, in cudendis his, vel illis epigrammatibus vti debeamus: quare sit.

Caput Decimumquartum.

Quomodo dicendi generibus, cùm in alia oratione, tùm in conscribendo epigrammate debeamus vti?

NON modo in epigrammate conscribendo, sed in quacunque oratione ritè & congruenter dicet, qui se rebus, quas tractat, accommodarit: ita, vt paruas summißè, modicas temperatè, magnas grauiter eloquatur. Illas tenui orationis forma; has, media; postremas, sublimi dicat. Hæc generatim:

Presßius sic existimo, infimo dicendi genere nos vti debere cum aliquid narramus, docemus, probamus, priuatè consulimus, rogamus, petimus, & similia. Cum verò aliquid comendamus, laudibus extollimus, auditorem intendimus concitare, affectus mouere ac perturbare, nouas opiniones inserere, insitas euellere, & his affinia, plena & sublimi orationis forma vtemur, quæ vim quammaximam habet: Postremò, cum suademus, delectamus, consolamur, rogamus, laudamus, mediam & æquabilem orationis formam adhibebimus.

Vnde etiam fit, vt non modo varia res varium

dicendi genus efflagitent, sed diuersæ quoque vnius, atq. eiusdem orationis partes, diuersam orationis formã expostulent, vbi docent, vbi mouent, vbi delectant. Age sis, & quæ dicimus, nonnullis illustremus exemplis. Exemplum styli tenuis, est illud Martialis lib. 5. epig. 36 ad Gelliã, de leui & futili illius, ac vulgi opinione:

Si quando leporem mittis mihi Gellia, dicis,
Formosus septem Marce diebus eris.
Si non derides, si verum lux mea narras,
Edisti nunquam Gellia tu leporem.

Eodem stylo docet Fidentium, libro primo, epigr. 30.

Fama refert nostros te Fidentine libellos
Non aliter populo quàm recitare tuos.
Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam;
Si dici tua vis, hæc eme, ne mea sint.

Eadem orationis forma narrat Ausonius, epigr. 14. leporis fugam, & quærimoniam.

Trinacrij quondam currentem in littoris ora,
Ante canes leporem cæruleus rapuit.
At lepus. In me omnis terræ, pelagiq. rapina est?
Forsitan & Cæli, si canis astra tenet.

Martialis libro octauo epigr. 24. à Domitiano simul petit, probat, delectat: iccircò prioribus tribus carminibus tenuiori orationis forma vsus, mox ad æquabilem attollitur: carmen sic habet.

Si quid fortè petam, timido graciliq. libello;
Improba non fuerit si mea charta, dato.
Et si non dederis, Cæsar, permitte rogari:
Offendunt nunquam tura, precesq. Iouem.
Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui rogat, ille facit.

Sublimis autem styli exemplum sit illud eiusdem arguti poetæ, libro itidem octauo epigr. 21. quo ille, pridie quàm Cæsar Urbem ingrederetur, sydera alloquitur, ut noctem præcipitent, quòd tantum esset populi desiderium videndi Cæsarem.

Phosphore, redde diē: qđ gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo, Phosphore, redde diem.
Roma rogat: placidi nunquid te pigra Bootæ
Plaustra vehunt, lento quod nimis igne venis?
Ledæo poteras abducere Cyllaron astro,
Ipse suo cedet nunc tibi Castor equo.
Quid cupidū Tirana tenes? iā Xanthus, & Æthō
Fræna volunt, vigilat Memnonis alma parēs,
Tarda tamen nitidæ non cedunt sydera luci,
Et cupit Ausonium Luna videre ducem.
Iam, Cæsar, vel nocte veni: sint astra licebit;
Non deerit populo te veniente dies.

Innumera huius clasfis alia apud probos quosque auctores reperies: nobis hæc indicasse satis.

Postre-

Postremò, mediocri & aequabili orationis forma est hoc epigramma eiusdem Martialis, libro primo epigr. 34 de Gellia.

Amissum non flet, cum sola est Gellia, patrem;
Si quis adest, iussae prosiliunt lachrymae.
Non dolet hic, quisquis laudari Gellia quaerit.
Ille dolet vere, qui sine teste dolet.

His ergo praeceptis, quisquis es amice Lector, quae de orationis ideis, ac formis, paucis quidem, sed non pauca diximus, fretus, allatisq. exemplis innixus, laudabilia, vt meus animus auguratur, & ex cuiusque rei conditione compones epigrammata: non quod plerique versificatores faciunt, qui vt in prouerbio est, omnia eodem cubito. *Porrò quae à nobis hucusque dicta sunt, ea spectant ad internas epigrammatis partes: iam docendi ratio poscit, vt de eius ipsius virtutibus, & qualitatibus edisseramus, sit ergo.*

Caput Decimumquintum.

De epigrammatis breuitate.

PRima huius poematis virtus censetur breuitas: nec immeritò; quia si illius vim atque etymon perpendas, cum solam inscriptionem significet, proculdubio paucis amat explicari. Tum etiam, quia acumen, &

argu-

argutia, quæ sunt propria huius operis ornamenta, sic breuitatem affectant, vt illa etiam, quæ scitè & grauiter dicta sunt, ideoq́ apophtegmata vocata, eò acutiora sint, quò breuiora. Contemplare quædam animalia vt sese contrahunt, quò validius impingant: ita contracta oratio impensius ferit animum.

Quot autem versibus constare debeat epigramma, dißidium fuit apud antiquos, nec hodie fortasse definitum est. Antonius Minturnus libro quinto de Poet. ait, Cyrillum Græcorum epigrammatum scriptorem, in ea extitisse opinione, vt, qui plures quàm tres faciat versus, Rhapsodiam conficiat, non epigramma. Quinimo etiam omne, *ait Minturnus*, distichon malum epigramma videatur, quasi vnico versu rem comprehendi voluisset. *Quod tamen Cyrillus ne somniauit quidem, quin potius rotunde fatetur, quod geminis versibus comprehensum est, id esse pulchrum, & iustum epigramma. Audi ipsum loquentem hoc disticho, in libro primo Anthologiæ Græcæ, cap.* 44.

πᾶν καλὸν εἰς ἐπίγραμμα τὸ δίστιχον, ἢν δὲ παρέλθῃς
τοὺς τρεῖς, ῥαψῳδεῖς, κοὐκ ἐπίγραμμα λέγεις.

id est. Omne epigramma venustum est distichon: vbi auxeris vltra,
Acre poema canis, non epigramma facis.

Quò spectat etiam illud Martialis, libro octauo, epig. 29;

Di-

Diſticha qui ſcribit, puto vult breuitate placere:
Quid prodeſt breuitas, dic mihi, ſi liber eſt?

Alij verò, epigramma nec duobus verſibus breuius, nec longius quattuor conſcribi oportere, veluti iurati contendunt. Ita Lampridius: in quam etiam rem hæc ſcribit Sigonius lib. Epiſt. 9. epiſt 8. Præterea, quod ad epigrammata ſpectat, non copia, ſed acumine placent: quæ nec breuius diſticho, nec longius tetraſticho finiebantur. Huc etiam lubentius iuit Minturnus. Quinimo huius rei aſſertorem citant Parmenionem, libro primo Anthol. Græc. cap. 44 qui tamen, vt ingenuè fatear, nil huiuſmodi ſancit, ſed ſolam in epigrammate vitat prolixitatem, Tute dijudica, Parmenionis carmen hoc eſt:

φημὶ πολυςιχίην ἐπιγράμματος ὀυ κατὰ μούσας
ἒιναι. μὴ ζητεῖ τ' ἐν ςαδίῳ δολιχὸν.
πόλλ' ἀνακυκλεῖται δολιχοῦ δρόμος. ἐν ςαδίῳ δὲ
ὀξὺς ἐλαυνόμενος, πνεύματός ἐςι τόνος.

Quod latinè ita tranſlatum reperio.

A Muſis procul eſt multos epigrammate verſus
Complecti: an quæras in ſtadio dolichon?
In dolicho curſus crebro torquetur, acuta
Pectoris in ſtadio concita uis rapitur.

Sunt qui in cudendis epigrammatibus quina diſticha, denos videlicet verſus excedere, religionis ducunt.

Cate-

Cæterùm, nos apud Græcos iuxta ac Latinos scriptores animaduertimus, pleraque epigrammata conscripta esse monosticha, vnius versus: Fidem astruant, quæ hic subijcio. In libro primo, Antholog. Græc. cap. 34.

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος, καὶ χείλεος ἄκρου. *idest*

Multa cadunt inter Calicem, supremaque labra.

Tum etiam.

Πολλοί τοι ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι.

Multos thyrsigeros, paucos est cernere Bacchos.

Et hoc de liuore

Ὀφθόνος αὐτὸς ἑαυτὸν ἑοῖς βελέεσσι δαμάζει.

Liuidus ipse domat proprio, se vindice, telo.

Tum isthuc, in quo de Homero sic Apollo loquitur.

Ἤειδον μὲν ἐγὼ, ἐχάρασσε δὲ θεῖος Ὅμηρος.

Hæc modulabar ego, scripsit diuinus Homerus.

Et celebris illa eiusdem vatis interrogatio ad Arcadas piscatores,

Ἄνδρες ἀπ' ἀρκαδίης ἁλιήτορες, ἦ ῥ' ἔχομέν τι.

Num quicquam Arcadij cepistis? dicite amici.

Et eorum responsio

Ὅσσ' ἕλομεν, λιπόμεσθ', ὅσσ' οὐχ ἕλομεν, φερόμεσθα.

Qđ captum est, perijt; sed q̃ non cepimus, adsunt.

Apud Latinos, Martialis libro septimo, epigram. 97. in Castorem.

Omnia Castor emit: sic fiet vt omnia vendat.

Et libro octauo, epigr. 19. de Cinna.

Pauper videri vult Cinna, & est pauper.

Et hic versus, Proteus dictus, quòd eius verba toties possunt commutare sedes, vt ille innumeras ostendat facies.

Perfide sperasti diuos te fallere Proteu.

Et Clamabũt E. & A quot quot nascũtur ab Eua.

Quia nimirum

Omnis masculus A nascens, E fœmina profert.

A genitor dat Adam. E dedit Eua prius.

Iam verò epigrammata duobus versibus, tribus, quattuor, & vlterius conscripta, vbiuis offendes: quorum exemplis neutiquam onerabo chartas. Illud inuestigatione videtur dignius, licet ne in epigrammate denos excedere versus? Licet. Et quisquis putat non licere, is porrò principes epigrammatum scriptores, Græcos iuxta ac Latinos, absurdè locutos esse, fateatur necesse est. Agathias egregius γραμματοποιὸς, libro septimo, Antholog. Græc. extulit epigramma viginti versuum. Et libro primo, cap. 61. viginti octo versuum, Et libro secundo, cap. 22. duorum & viginti versuum: sic alij. Apud Latinos, Catullus, Martialis, Ausonius, vltra trigesimum versum progrediuntur, quamquam elegiaco carmine haud ita. Nihilominus argutus poeta, epigramma viginti versuum

ſuum elegiaco metro edidit, libro decimo, epig. 37. in Maternum. Et libro nono, epigr. 104. ad Domitianum, viginti quatuor verſuum. Et libro octauo, epigram. 33. ad Paulum de Fiala, viignti ſex verſuum, & epigram. 56. verſuum viginti quatuor. Hexametris autem ſolis elaborauit epigramma duorum ſupra triginta verſuum, libro tertio, epigram. 57. Hendecaſyllabo verò, & Scazonte exceſsit quadrageſimum quartum, vt libro primo, epigr. 50. & quinquageſimum in libro tertio, epigram. 57. Quinimo huic ſcriptori ea duntaxat epigrammata videbantur longa, quibus ſit quod demere poſsis. Eum audi, libro ſecundo, epigram. 87. in Coſconium,

Coſconi, qui longa putas epigrammata noſtra;
Vtilis vngendis axibus eſſe potes.
Hac tu credideris longum ratione Coloſſum.
Et puerum Bruti dixeris eſſe breuem.
Diſce quod ignoras, Marſi, doctique Pedonis,
Sæpe duplex vnum pagina tractat opus.
Nõ ſunt longa, quib. nihil eſt, qđ demere poſſis;
Sed tu Coſconi, diſticha longa facis,

Auſonius ſæpenumero attingit decimumſextum verſum, vt in ſimulachrum occaſionis, epigr. 12. Decimumſeptimum, epigr. 1. de Auguſto. vigeſimum, epigram. 90. ad Venerem: vigeſimum ſecundum, vt

in responsione ad Theodosium. Catullus, quamuis alio carminum genere sæpissimò bis denos versus excedit, sic alij.

Tu verò mecum sic habe. In carmine elegiaco, venustissima optimaque esse disticha, tetrasticha, hexasticha: neque aspernenda, quæ decem, vel duodecim versibus efferuntur. Hic meta. At verò Hexametros, Epodos, Scazontes, Hendecasyllabos, Anacreonteos, plures sine piaculo potest aliquis congerere. Porrò id maximè habendum præ oculis, ne dum vrceus cepit institui, currente rota, exeat amphora, & pro, epigrammate, elegia.

Caput Decimumsextum.

De epigrammatum suauitate: tum Græca longè esse suauiora Latinis.

SVauitas est odorum, & saporum propria, qui blanda quadam uoluptate gustandi, uel odorandi sensum afficiunt. Transfertur ad res alias: Hinc suaues cuiuspiam mores, suaue ingenium, suauem amicum dicere consueuimus; cuius nimirum familiaritate, usu, colloquio, quasi abdita quadam iucunditate perfundimur, ut ab eo discedere grauemur, & absentes ad eum ipsum alliciamur. Hac significatione

tione appellata est sermonis & orationis suauitas, quæ lectorem sic delenifica quadam vi, & uoluptate afficit, vt eum prope detineat, & ad legendum trahat uel inuitum; quemadmodum olim de Herodoti lectione non nemo dixit, quod difficilius esset eam deponere, quàm Cyatum. Talis, opinor, uis inerat in oratione Periclis, ob quam Eupolis in illius labris Deam Suadam sessitasse scripsit. Talis Homero erat Nestor, cuius a lingua dulcior melle fluebat oratio, *qui quidem appositissimo etiam illo epitheto* ἡδυεπὴς suauiloquus, *ab eodem uate cohonestatus est, Tales alij. Hanc uirtutem quoad fieri potest, in epigrammate requiro, cui aduersatur Asperitas.*

Dimanat ex gemino fonte; ex rebus, & uerbis. Illæ eiusmodi sunt, quæ suapte natura mollem quandam uim ad demulcendos sensus, mentesque oblectandas habent, ut iucunda hortorum amænitas, placidi uirentium arborum susurri, delicata florum hilaritas, aquarum leni murmure labentes riuuli, pellucidi fontium decursus, grati auium cantus, concentus musici, auri, & gemmarum lætitia, lucis effusio, choreæ, tripudia, pulchritudo, Cupidines, oscula, amplexus: quibus mehercle a natura inest lepos nescio quis, & elegantia; sed tamen apta locutio incredibilem venustatem, & titillationem addit. Quæ omnia quò

sue-

fuerint clarius apertiusque descripta, & commemorata, eò delicatiorem suauitatis sensum efficiunt.

Quod uerò ad dictionem spectat, in verbis simplicibus, euitentur dura, aspera, strepitosa: sint mollia, fluentia, plana. Horum contextus, & copulatio neutiquam sit sufflata, squalida, hiulca, sed leni & æquabili quodam sono diffluat, ut consurgat latens quidam orationis uigor: qui, ut meus fert animus, uix aut ne uix quidem ulla præceptione tradi potest. Perpende hoc in amico, uti dicebam, suaui, cui opposuimus, asperum. Agat ille tecum rem aliquam: agat eandem amicus asper: tum eam ipsam agat aliquis assentator. Res in isto affectata quadam dulcedine uilescit: in illo riget asperitate: in primo demulcet, atque exhilarat: sic in oratione contemplare. Eximiæ huius uirtutis inter Latinos multum consecutus est Catullus; in quo sanè non pacua legimus mira suauitate referta. Græci longo interuallo Latinis præcurrunt, de quibus, Martialis, libro nono, epig. 12:

Nobis, *inquit*, non licet esse tam disertis
Qui musas colimus seueriores.

Melius illis, quàm his licet esse suauibus. Innumera leges suauissima in Anthologia Græc. Epigr. apud Platonem, Xenophontem, Isocratem, Pindarum, Euripidem, Sophoclem, Anacreontem, in quo non

Mele

Mele, sed mella lego. Exempla supersedeo in re claara. Quocirca sæpe mihi mirari subijt, quid Aulo Gellio, viro alioquin Græcis ac Latinis litteris erudito, in mentem venit, dum libro 19. cap. 9. Antonium Iulianum inducit, qui Latinos nihil in suauitate Græcis concedere perfractè defendauit: in cuius rei gratiã quatuor epigrammata ex memoria refert, Valerij Æditui, Q. Catuli, & Porcij Licinij; quibus, *ait Gellius,* mundius, venustius, limatius, pressius, Græcum, Latinumue nihil quicquam reperiri puto. *Equidem unum exscribam, ut ipse vel ex vngue diiudicare queas.*

Dicere cum conor curam tibi Pamphila cordis,
Quid mi abs te quæram? verba labris abeunt.
Per pectus miserum manat subitò mihi sudor,
Si tacitus: subidus, duplo ideo pereo.

Subijciam hoc vnum Anacreontis senis.

Μήμε φύγῃς, ὁρῶσα
Τὰν πολιὰν ἔθειραν.
Μηδ᾽ ὅτι σοι πάρεστιν
Ανθος ἀκμᾶιον ὥρας,
Τἀμὰ φίλτρα διώξῃς.
Ορα κἂν στεφάνοισιν
Οπως πρέπει τὰ λευκὰ
Ῥόδοις κρίνα πλακέντα.

Audi

Audi hoc ipſum latinum, quamuis Græcis delicijs longè inferius.

Ne conſpicata canos,
Me fugeris puella;
Nec quòd tibi color ſit
Roſæ prior colore
Spernas meos amores.
En aſpice in corollis,
Roſis decenter alba
Vt lilia implicentur.

Hic te diutius haud morabor, nec plura verba in re clarisſima conteram; quod qui facit, uereri videtur, ne quiſpiam ſecus credat: quare ſit.

Caput Decimumſeptimum.

De epigrammatis argutia.

ACumen & argutia tam eſt peculiaris huius poematij, vt eius forma ac ſpiritus a pleriſque uocetur. Quò fit, vt quemadmodum res cæteræ, cum immutant formam, nomen quoque mutent, & quod prius erant, eſſe deſinant, ita hoc ſcriptum, ſi argutiam omittit, epigrammatis quoque nomen amittit.

tit. Contra verò, si reliqui orationis colores ac lumina, non usqueadeò in eo emicant, modò insit acumen, totum fit commendabile. Id in causa est, cur epigramma, nunc quidem scorpioni, qui cauda ferit, nunc pugioni, quo punctim hostis impetitur, aliquando piperi, quod linguam acrimonia mordet, nonnunquam felli, quod amaritudine sensum uellicat, non illepidè comparatur. Parco in præsens exemplis: Ipse Anthologiam Græcam euolue ac perlege, ubi innumera, eaque acutissima fient obuia: cuiusmodi sunt Antipatri, Archiæ, Nicarchi, Agathiæ, Leonidæ, Luciani, Lucillij, Palladæ, & aliorum: quibus, sicut in cæteris dicendi partibus, ita in hac dedit ingenium, & ore rotundo Musa loqui. *Apud Latinos, (rem extra controuersiam pono) palmam tulit Martialis; cuius pleraque epigrammata, usque adeò arguta, & aculeata sunt, ut vel eum ipsum id minimè latuerit, quando Lectorem ita alloquitur, libro primo, epig.* 1.

Hic est, quem legis, ille quem requiris,
Toto notus in orbe Martialis,
Argutis epigrammatum libellis:
Cui, Lector studiose, quod dedisti
Viuenti decus, atque sentienti,
Rari post cineres habent poetæ.

Hac laude, iudicio doctorum virorum, Catullus

 ferè

ferè caruit, vel saltem in paucis consecutus est. Eam nihilominus singulari quadam venustate, & suauitate compensauit inimitabili. Ausonius parum feliciter; præterquam in ijs, quæ latina ex græcis fecit, Nihil dicam de alijs: Criticorum hic labor. Iam verò quoniam acumen, & argutia penè semper in extremo aut disticho, aut versu, vel etiam dictione sita est, quæ epigrammatis conclusio vocitatur, de ea dicamus.

Caput Decimumoctauum.

De epigrammatis conclusione.

ETsi totum epigramma esse debeat verbis nitidum, sententijs illustre, figuris iucundum, translationibus magnificum, compositione elaboratum, affectuum plenum, acrimonia perfectum; tamen eius meta atque conclusio, longè maiori sedulitate elaboranda, & peculiari quadam acrimonia inspergenda est. Hoc auditor expectat, hic conquiescit, hic laus, & palma. Contemplare mihi Scorpium, cum quo contulimus epigramma: is vndequaque minatur malum, nihilominus in cauda venenum condit, ea ferit: haud secus

epigramma, in extremo disticho, versu, vel vltima voce, sigulari quadam argutia, quasi cauda feriat.

Hæc porrò epigrammatis argutia, nunc quidem hauritur ex illustri aliqua & graui sententia; Martialis, libro quinto, epigram. 10. de perenni æternaque poetarum fama, ita claudit.

Vos tamen ò nostri, ne festinate libelli;
Si post fata venit gloria, non propero.

Et libro primo, epig. 5. ad Cæsarem.

Lasciua est nobis pagina, vita proba est.

Aliquando ex historijs, aut fabulis, vt idem libro itidem primo, epig. 21. de Cæciliano, qui solus boletos deuorabat.

Dic mihi, quis furor est? turba spectante vocata,
Solus boletos Cæciliane voras.
Quid dignum tanto tibi ventre, gulaq. precabor?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Et epig 63. de coniuge casta, quæ in balneo adultera facta est.

Penelope venit, abit Helene.

Venustissimè clauditur epigramma apostrophe, quale est hoc Martialis eodem libro, epigr. 43, de Portia.

Coniugis audisset fatum cum Portia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor,
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?

Credideram satis hoc vos docuisse patrem:
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas.
I nunc, & ferrum turba molesta nega.

Et in spectaculis, epig. 23.

I nunc, & lentas corripe turba moras.

Sæpenumero, epiphonemate; vt libro primo, epig. 22. de Mutio Scæuola, qui pro Rege Porsena, satellitem interfecit, & in pœnam combussit dexteram.

Maior deceptæ fama est, & gloria dextræ.
Si non errasset, fecerat illa minus.

Argutissima sunt, quorum conclusio uel non expectata, vel expectationi contraria obuenit, quod Græci παραπροσδοκίαν *dicunt. Sic argutus poeta, libro tertio, epig. 20. cum plusculis uersibus interrogaßet Musam, quid Canius Rufus agat? & recensitis plurimis rebus, in quibus ille suam operam poßet collocare, tandem Musa respondet, eum nihil aliud agere, quàm* ridere.

Dic Musa, quid agat Canius meus Rufus?
Vtrumne, &c.
Vis scire quid agat Canius tuus? ridet.

Et libro primo, epigram. 11. de Gemello, & Maronilla.

Petit Gemellus nuptias Maronillæ,
Et cupit, & instat, & precatur, & donat.
Adeò ne pulchra est? immò fœdius nil est.

Quid

Quid ergo in illa petitur, & placet? tussit.

Tum hoc ex eodem libro, epig 56. de uxore Galli

Gentibus in Libycis vxor tua Galle notatur
  Immodicæ fœdo crimine auaritiæ.
Sed mera narrantur mendacia; non solet illa
  Accipere omninò: quid solet ergo? dare.

Sic libro tertio, epig. 44. de Ligurino molesto suorum carminum recitatore.

Nolo mihi ponas Rhombũ, mullumue bilibrem:
  Nec volo boletos, ostrea nolo: tace.

Ita libro secundo, epigr. 17. & epigr. 72. & 101. Et libro quarro, epigr. 53. & 56. & 65. Et libro decimo, epigr. 13. & alijs locis: vbi uel unica, vel certè paucis dictionibus claudit epigramma, παρὰ προσδοκίαν. Cuiusmodi est etiam illud Catulli, epigr. 25. quo Furij villam exagitat.

Furi villula vestra non ad austri
Flatus opposita est, nec ad fauoni,
Nec sæui boreæ, aut apeliotæ;
Verùm ad millia quindecim, & ducenta,
O ventum horribilem, atque pestilentem!

Frequentissima est, & uenustissima in conclusione exclamatio. Martialis, libro secundo, epigr. 34. in Gelliam.

Perpetuam Dij te faciant Philerotis amicam!

O ma-

O mater, qua nec Pontica deterior.

Et epigram. 40. in Tongilium gulosum.

O stulti, febrem creditis esse? gula est.

Quæ terminandi formula Catullo fuit familiaris, epigr. 3. luctum passeris ita claudit.

O factum malè, o malæ tenebræ,
Vestra nunc opera meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

Epigrammate 9. ad Verannium.

O quantum est hominum beatiorum,
Quid me lætius est, beatiusue?

Epigram. 21.

O uentum horribilem, atque pestilentem.

Epigr 43. in Acmen.

O seclum insipiens, & infacetum.

Epig. 46. de aduentu ueris.

O dulces comitum valete Cœtus.

Elegantissimè interrogatione. Sic Martialis, libro secundo, epig. 80. de Fannio.

Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit:
Dic rogo, non furor est, ne moriare, mori?

Et libro tertio, epig. 14. de lactuca.

Claudere quæ cænas lactuca solebat auorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Tum isthuc.

Si prolixa facit sapientem barba, quid obstat;
Barbatus possit, quin aper esse Plato?

Atque ut semel dicam, epigramma claudi ac finiri debet, vel singulari aliquo lepore, vel pondere, uel nouitate, uel illecebra, uel denique aliqua ex oratorijs figuris, de quibus multa Rhetores.

Caput Decimumnonum.

De epigrammatibus, quæ peculiari quodam artificio terminantur.

CLauditur haud rarenter, & quidem lepidissimè epigramma, cum in fine repetitur uersus, qui fuerat initio constitutus. Cuiusmodi est hoc Martialis, ex libro quarto, epig. vlt.

Ohe iam satis est, ohe libelle,
Iam peruenimus vsque ad vmbilicos.
Tu procedere adhuc, & ire quæris,
Nec summa potes in scheda teneri:
Sic tanquam tibi res peracta non sit,
Quæ prima quoque pagina peracta est,
Iam lector queriturque, deficitque,
Iam librarius hoc & ipse dicit:

Ohe

Ohe iam ſatis eſt, ohe libelle.

Et libro ſecnndo, epigr. 6. ad Seuerum,

I nunc edere me iube libellos

Lectis vix tibi paginis duabus, &c.

I nunc edere me iube libellos.

Catullus, epigr. 52. in Nonium Strumam, & Vatinium, ſic indignatur.

Quid eſt Catulle, quod moraris emori?

Sella in curuli Struma Nonius ſedet;

Per conſulatum peierat Vatinius.

Quid eſt Catulle, quod moraris emori?

Tum epigr. 36. in Annales Voluſij Annales Voluſi, cacata charta, &c. *Et epigr. 56. in Mamurram, & Cæſarem,* Pulchrè conuenit improbis cinædis, &c. *Et epig. 16. ad Aurelium, & Furium, & alibi.*

Huc ſpectant illa etiam epigrammata, in quorum altero quoque uerſu, finis reuoluitur ad ſuum principium; ideòque Serpentina dicuntur; quale eſt elegantisſimum iſtud Martialis in libro nono, epig. 99. ad Iulium.

Rumpitur inuidia quidam, chariſſime Iuli,
  Quod me Roma legit, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quod turba ſemper in omni
  Monſtramur digito, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, tribuit quòd Cæſar vterque
  Ius mihi natorum, rumpitur inidia.

Rum-

Rūpitur inuidia, qđ rus mihi dulce sub Vrbe est,
Paruaque in Vrbe domus, rumpitur inuidia.
Rumpitur inuidia, quod sum iucundus amicis.
Quod conuiua frequens, rumpitur inuidia.
Rūpitur inuidia, qđ amamur, quodq; probamur.
Rumpatur, quisquis rumpitur inuidia.

Eiusdem ordinis est venustissimum illud distichon de Eua, & Deipara Virgine.

Prima fuit mulier, patuit qua ianua letho:
Per quam vita redit, prima fuit mulier.

Tum hoc.

Balnea, vina, Venus, corrumpunt corpora nostra:
Conseruant eadem Balnea, vina, Venus.

Lege isthuc etiam, quale quale est, de multiiuga Angelici Doctoris doctrina.

Quis Sophiam rectè totam scit tradere? Thomas:
Thomas nam reliquos eminet ante Sophos.
Quis Logices reddet fastigia peruia? Thomas:
Thomas nam Logices omne recludit iter.
Quis facile exponet mihi Naturalia? Thomas:
Thomas Naturæ grande recludit opus.
Quis præcepta palam faciet Moralia? Thomas:
Thomas quid Virtus, quid Vitium q. docet.
Quis diuina mihi pandet Mysteria? Thomas:
Thomas veram aperit cum ratione fidem.

Quis Vitã ad superã mõstrabit pergere? Thomas:
Thomas exemplo ducit ad astra suo.

Aliquando medius tantum pentametri versus repetitur, hoc pacto, vt Martialis, libro secundo, epigramma 18.

Capto tuam, pudet heu, sed capto Maxime cænã,
Tu captas aliam: iam sumus ergo pares:
Mane salutatum venio, tu diceris isse
Ante salutatum: iam sumus ergo pares.
Sum comes ipse tuus, tumidiq. ante ambulo regis.
Tu comes alterius: iam sumus ergo pares, &c.

Tale est etiam illud de Græcarum litterarum studijs.

Quis quis grãmaticam vis discere, discito græcè.
Si græcè nescis, corrumpis nomina rerum,
Si græcè nescis, malè profers nomina rerum,
Si græcè nescis, malè scribis nomina rerum.
Lingua Pelasga vetat vitiosos scribere versus:
Lectio quem Plinij delectat, discito græcè,
Argumentari quis quis vis, discito græcè,
Quis quis Rhetoricam vis discere, discito græcè,
Artibus ex medicis qui captas, discito græcè;
Artes ingenuæ graio sermone loquantur:
Ad summum doctis debentur omnia Græcis:

Nec omiserim isthuc Martialis, ex libro secundo, epigr. 33. in Philænim.

Cur

Cur non basio te Philæni, calua es.
Cur non basio te Philæni, rufa es.
Cur non basio te Philæni, Lusca es.
Te qui basiat, hic Philæni, fellat.

Caput Vigesimum.

Quomodo narrandum sit in epigrammate.

IAm dudum partiti sumus epigrammata iuxta poematum genera: vt ergo in poemate omnes narrandi modi sunt tres: Vnus in simplici poetæ narratione positus, quale est empedoclis, & Lucretij poema, quem Græci διηγηματικὸν *appellant. Alter in collocutionibus inductarum personarum, ita vt scriptoris persona nusquam appareat, nec quicquam interloquatur, sed alios colloquentes, ac negotiantes inducat: quod in Comœdijs, & Tragædijs fit, a Græcis* διαλογητικὸς *dictus. Tertius denique* μικτὸς, *mixtus, cuiusmodi est Epopeia, in qua cum poeta, tum alij ab eo ipso inducti loquuntur. quippe in* Epopeia, poeta narrat vel vt aliud quidpiam factus, vel vt idem, & non mutatus, *inquit Aristoteles in libro de poetica cap* 8. *Sic in epigrammatis narratione, aliquando solus loqui-*

tur poeta: aliquando res duntaxat aliæ ab eo inducta: nonnunquam tum ipse, tum res aliæ. Solus poeta, vel seipsum alloquitur, vel alios: Seipsum, vt Catullus, epigram. 8.

Miser Catulle desinas ineptire,
Et quod vides perijsse, perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi Soles,
Cum ventitabas, &c.

Si alios, vel vnum aliquem, vt idem Catullus, epigram. 9.

Veranni, omnibus e meis amicis
Antistes mihi millibus trecentis,
Venisti ne domum, &c.

Vel plures; atque eos quidem propinquos, amicos, viatores, &c. quorum exempla vbique obuia. Venustissimè libros, & uersiculos suos, vt Martialis, libro primo, epigr. 3.

Argiletanas mauis habitare tabernas,
Cū tibi parue liber scrinia nostra vacēt, &c.

Et sæpe alias: Catullus, epig. 35.

Poetæ tenero, meo sodali,
Velim Cæcilio papyre dicas,
Veronam veniat, &c.

Et epigram 42.

Adeste hendecasyllabi, quot estis,

Omnes vndique, quot quot estis omnes.
Iocum me putat, *& quæ sequuntur.*

Elegantissimè poeta alloquitur animalia, fontes, fluuios, arbores, Vrbes, & res alias. Archias, libro primo, Antholog. Græc. cap. 87. hirundinem, nidificantem in tabula, vbi Medeæ imago cernebatur, sic affatur.

αἶαν ὅλην, νήσους τε διϊπταμένη σὺ χελιδὼν,
μηδείης γραπτῇ πυκτίδι νοσσοτροφεῖς;
ἔλπῃ δ' ὀρταλίχων πίστιν σέο τήνδε φυλάξειν·
κολχίδα, μὴδ' ἰδίων φεισαμένην τοκέων; *idest*

Per mare, per terras volitando vagaris hirundo,
Medeæ picta nidificas tabula?
An tibi custodem pullorum Colchida fidam
Speras, quæ partus sustulit ipsa suos?

Palladæ est hoc lepidissimum, ad aurum.

Aurum blanditiæ pater es, natusque doloris:
Teque carere dolor, teque tenere metus.

Immutatur poeta, atque aliud factus narrat in epigrammate, dum, sicut in scena fieri amat, ita hic aliud quippiam, quod loquatur, inducit. Atq; non homines modo, sed quæuis muta animantia, necnon res anima etiam ac sensu uacantes. Eorum exempla passim sunt apud auctores. Equidem unum, vel alterum, propter ipsorum suauitatem, subijciam. Imi-

tatur

tatur poeta elegantissimo hoc carmine Luctatorem Lacedæmonium, libro primo. Antholog. Græc. cap. 1. qui quasi uerbis ipsis luctam exprimit.

οὔτ' ἀπὸ μεσσάνας, οὔτ' ἀργόθεν εἰμὶ παλαιστής.
σπάρτα μοι, σπάρτα κυδιάνειρα πατρίς.
κεῖνοι τεχνάεντες, ἔγωγε μὲν ὡς ἐπέοικε
τοῖς λακεδαιμονίων παισὶ, βίᾳ κρατέω.

Cuius sensus hic est.

Haud ego Messene venio luctator, & Argis.
Sparta mihi Sparta est patria, clara viris.
Arte illi varia pugnant, ego more paterno,
Vt Lacedæmonius robore vinco alios.

Apud Ausonium, epigr. 3. Danubius Flu. alloquitur Nilum, Illyricis regnator aquis, &c. *& epig. 11. Echo ita lepidissimè ad pictorem.*

Vane quid affectas faciem mihi ponere pictor,
Ignotamque oculis sollicitare Deam?
Aeris. & linguæ sum filia, mater inanis
Iudicij, vocem quæ sine. mente gero.
Extremos pereunte modos a fine reducens,
Ludificata sequor verba aliena meis.
Auribus in vestris habito penetrabilis Echo;
Et si vis similem pingere, pinge sonum.

Audi etiam boues, nauium quarumdam ductores, non quidem bouatim, sed planè poeticè, hoc carmine cum mari loquentes.

Non

Non ſolum ſcimus benè aratos findere ſulcos,
Sed pelago naues ducimus ecce boues.
Namq; operas pacis docti ſumus: heu mare cõtra
Delphinos terra iunge, vt aratra ferant.

Poſtremò, mixtæ narrationis exemplum, in qua cum poeta, tum aliud quippiam loquatur, ſit elegans hoc epigramma, in quo quidem & ipſe poeta narrat, & agreſte cuiuſdam ruſtici factum, & intempeſtiua interpellatio, necnon feſtina, ac feſtiua Ouidij reſponſio refertur.

Forte domi ſolus quondam dum Naſo ſedebat,
Intentus ſtudijs, carminibuſque ſuis;
Pelignus gelido veniens a rure colonus,
Ardua diuini limina vatis adit:
Vtque erat agreſtis, ſtrepitu ferit oſtia magno,
Et rabido properans increpat ore moras:
Neſcio quid talem vatem ſit & inter aſellum?
Reſpondit breuibus Naſo poeta; FORES.

Conficiuntur nonnunquam epigrammata, atque ea quidem elegantisſima per dialogum, cum vel ipſe poeta miſcet verba, & reſponſa accipit: vel omninò alia, quæ colloquantur, inducit: qualia ſunt in Antholog. Græc. libro primo, cap. 67. & 68: Et libro tertio, cap. 1. & 12. & alibi, Apud Auſonium, epigr. 12. de ſimulachro Occaſionis, & Pœnitentiæ, tum apud alios. Equidem

dem hoc vnum exſcribam, quod eſt de Iuſtitia.

Quæ dea? *Iuſtitia*: Quid toruo lumine? *flecti*
Neſcia ſum & lachrymis, & precio, & precibus.
Quod genus? *a ſuperis.* Ex quo genitore? *Modo.* Ecqua
Matre? *fide.* Nutrix quæ tua? *Pauperies.*
Quis gremio infantem fouit? *prudentia.* Quonam
Freta duce agnoſcis crimina? *Iudicio.*
Cur gladium tua dextra gerit? cur læua bilácem?
Ponderat hæc cauſas, percutit ille reos.
Quid rari aſſiſtunt? *quod copia rara bonorum eſt.*
Quæ comes aſſidua eſt? *Candida ſimplicitas.*
Aurium aperta tibi cur altera, & altera clauſa eſt?
Hæc ſurda iniuſtis, panditur illa bonis.
Paupere cur ſemper vultu? *iuſtiſſimus eſſe*
Qui cupit, exiguas ſemper habebit opes.

Caput Alterum, & vigeſimum.

Quonam verſuum genere exaranda ſunt epigrammata.

P*Lurima carminum genera commemorantur ab Hephæſtione, Scaligero, & alijs, quæ nobis in præ-*

ſens

sens ne attingere quidem est animus. Illud generatim affirmo, nullum esse carminis genus, quo non posit epigramma conscribi: ac proinde tot carminum generibus posse explicari, quot sunt carminum genera.

Quinimo isthuc poematium in eo quoque ab reliquis poeseos partibus discriminatur, quòd illæ vnum aliquod versuum genus, certis conclusum limitibus obtinuerunt, extra quod aut nunquam, aut ægrè feruntur: vt Epopeia hexametrum, Socci, grandesque Cothurni iambum, &c. epigramma autem omnes omnium versuum campos iure quodam suo expatiatur. Frequentior nihilominus inualuit vsus, vt elegiaco carmine, & versibus impariter iunctis, aut phaleucio, siue hendecasyllabo, vel iambo efferantur. Senarius præit, subsequitur pentameter: quem tamen ordinem inuertit olim Pythia in carmine illo, quo Charitoni, & Melanippo respondit.

Ευδαίμων χαρίτων, καὶ μελάνιππος ἔφυ,
Θείας ἀγητῆρες ἐφημερίοις φιλότητος. *idest;*

Et Chariton felix, & Melanippus erat,
Æterno mortales vinclo, & fædere amici.

Contra latinus poeta, in carmine illo vulgato, quod per ora etiam vulgarium in horas venit, vni hexametro quattuor pentametros ita subiecit.

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores.

Sic vos non vobis nidificatis aues,
Sic vos non vobis vellera fertis oues,
Sic vos non vobis mellificatis apes,
Sic vos non vobis fertis aratra boues.

Ausonius in Sententijs septem Græciæ sapientum Thaletis effata, solis ac nudis pentametris inclusit, qui sunt.

Turpe quid ausurus, te, sine teste time.
Vita perit; mortis gloria non moritur.
Quod facturus eris, dicere distuleris.
Crux est, si metuas, vincere quod nequeas.
Cum verè obiurgas, tunc inimice iuuas.
Cum falsò laudas, tunc & amice noces.

Apud eundem, Periander Corinthius, hoc phaleucio loquitur, quod etiam propter sententiæ grauitatem lubens adijcio.

Nunquam discrepat vtile a decoro,
Plus est Sollicitus magis beatus,
Mortem optare malum, timere, peius.
Faxis vt lubeat, quod est necesse.
Multis terribilis, caueto multos.
Si fortuna iuuat, caueto tolli,
Si fortuna tonat, caueto mergi.

In alijs carminum generibus non te morabor: exempla nusquam non obuia, modò aspicias τοὺς ἐπιγραμματοποιούς.

Caput Vigeſimum ſecundum.

De epigrammatibus, in quibus inſignis animi affectus exprimitur. Tum, inſpergitur aliquid priſci moris.

AFfectus animi ſic afficiunt homines, vt, auctore Ariſtotele, libro ſecundo, Rhet. cap. 3. immutati, non eodem modo iiſdem de rebus ſentiant: *ideòque eos voluptas, aut ægritudo conſequitur. Hinc epigramma, in quo magnus animi motus, vehemenſque affectio, & immutatio cernitur, atque exprimitur, vt pietas, commiſeratio, amor, dolor, mæror, & hoc genus alia, merito atque optimo iure pulcherrimum iudicatur: quale eſt illud de pietate Æneæ, libro primo, Anthol. Græc.*

Εκ πυρὸς ἰλιακοῦ, δοράτων μέσον ἥρπασεν ἥρως
 αἰνείας, ὅσιον παιδὶ βάρος πατέρα.
ἔκλαγε δ' ἀργείοις, μὴ ψαύετε, μικρὸν ἐς ἄρη
 κέρδος ὁ γηραλέος, τῷ δὲ φέροντι, μέγα.

hoc eſt. Per medios hoſtes patriæ cum ferret ab igne
 Æneas humeris dulce parentis onus;
Parcite, clamabat: vobis ſene adorea rapto
 Nulla erit, erepto ſed patre ſumma mihi.

Hem perpende huius phaleucij affectum,

Ablatus mihi Crispus est amici,
Pro quo si precium dari liceret,
Nostros diuiderem libenter annos:
Nunc pars optima me mei reliquit,
Crispus, præsidium meum, voluptas,
Pectus, deliciæ: mihi sine illo,
Letum mens mea iam putabit esse.
Consumptus malè, debilisque viuam:
Plus quàm dimidium mei recessit.

Eius classis est etiam hoc de S. Magdalena, quæ stabat ad monumentum Domini.

Quid feror heu Dñi toties ad inane sepulchrum?
En viuo, & me vult forsitan ille mori.
Vita vale: quis scit mihi mors an reddet amantẽ?
Sæpe venit facili morte cupita salus.
Hoc me igit, Iuuenes, si fas, tumulate sepulchro,
Et ferat hæc memori carmina fronte lapis.
Amissum vacua Dominum, dum quæreret vrna,
Pro Domino iacuit perdita serua suo.

In quibus explicandis id maximè habendum præ oculis, vt ea sint mollia, facilia, perspicua: sic in omnes animi sensus, ac recessus instillant, & medullitus illabuntur. Quod si adhuc eruditione aliqua, siue ex historijs, seu ex celebri quadam fabula, aut prisco ritu petita, inspergantur, tum demum longè maiori laude appa-

apparent insignita: lubeat hoc carmen subijcere.

Siste heu tonsor: crudeles iam comprime cultros:
Parce capillato decolorare Deo.
Prisca fides voluit, Iuuenes deponere crinem,
Sed quibus infestat sordida lana genas;
Hic nondum Alphæi blandus tria præmia vidit,
Et facies tersum vincit amica vitrum.
Sed postquam scelerata nefas comittere tantum,
Et florem potuit dissecuisse manus;
En terra exultat dulces tetigisse capillos,
Quos cælum expectat sydus habere nouum.

Vbi insinuatur mos antiquissimus, quo quidem adolescentes, cum essent ad grandiusculam ætatem uecti, comam detonsam patrijs Dijs, fluminibusque consecrare consueuerant: Tum, Alphæi præmia, sunt pro lustris. Et in calce tangitur Berenices fabula, cuius abscissam comam, inter sydera collocant poetæ.

Catullus, epigr. 26. duas veterum conuiuiorum tetigit consuetudines. Altera est, quod qui libenter pergræcabantur, procedente conuiuio, se se capacioribus, & meracioribus poculis poscebant: Altera, quod talorum iactu, unus aliquis bibendi arbiter creabatur, qui præscriberet, quantum, & quomodo temperatum quisq; biberet. Carmen sic habet.

Minister vetuli puer falerni,

Ingere

Ingere mi calices amariores,
Vt lex Poſtumiæ iubet magiſtræ
Ebrioſa acino ebrioſioris.
At vos, quò lubet, hinc abite lymphæ,
Vini pernicies; & ad ſeueros
Migrate: hic merus eſt Thyonianus.

Cuiuſmodi ſunt etiam epigrammata, in quibus Veterum mos exprimitur, vt illi amicis, ſiue præſentibus, ſeu abſentibus propinare ſolabant, & quot in amicorum, amicarumue nominibus erant litteræ, tot Cyathos exſiccare: ita Caius, exempli gratia, bibebantur quincunce, id eſt, quinque Cyathis, Iulius ſex, Proculus octo, &c. Sic Martialis, libro vndecimo, epigr. 37. *de Caio Proculo.*

Caius hanc lucem gemma mihi Iulius alba
Signat, iò votis redditus ecce meis.
Deſperaſſe iuuat, veluti iam rupta ſororum
Fila, minus gaudent, qui timuere nihil.
Hypne quid expectas piger? immortale falernũ
Funde, ſenem poſcunt talia vota cadum.
Quincunces, & ſex cyathos, beſſemque bibamus,
Caius vt fiat, Iulius & Proculus.

Ita libro octauo, epigr. 50.

Det numerum Cyathis inſtantis littera Rufi

Et libro nono, epig. 96.

Næuia

Næuia ſex Cyathis, ſeptem Iuſtina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quattuor, Ida tribus.
Omnis ab infuſo numeretur amica falerno.

Huc ſpectant arguta quædam & ambigua epigrammata, quæ in receſſu aliud habent, quàm in fronte promittunt; quale eſt hoc Martialis, libro primo, epig. 33. ad Sabidium.

Non amo te Sabidi, nec poſſum dicere quare:
Hoc tantum poſſum dicere non amo te.

Quod primo intuitu nihil videtur præſeferre, nihilominus in Martiale Martialis latet. Quid ita? quia nec poſſum dicere quare, *eſt, non audeo te, propter tuum flagitium, nominare. Et epig. 97.* excidit mihi nomen. *Et libro quarto, epig. 66.* feciſti rem, Line, difficilem. *& ſæpe alibi. Sic Angelus Politianus in Miſcellan. cap. 6. credidit, nomine paſſeris in ſecundo epigrammate Catulli, quod eſt ad paſſerem Lesbiæ, obſcænum neſcio quid obtegi. Equidem hoc ſubijcio de Nerone.*

Quis neget Æneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Haud illepida ſanè iudicantur epigrammata, quæ gradatim quodammodo aſcendunt, vt hoc.

Vincit amor: pudor hūc caſtus; mors vincit vtrūq.
Mortem fama, dies famā, Deus omnia vincit.

Et isthuc.

Puluis, & vmbra ſumus; puluis nihil ē niſi fumus,
At nihil eſt fumus, nos nihil ergo ſumus.

Tum etiam illud de fœmina.

Quid leuius fumo? flamen: quid flamine? ventus:
Quid vento? mulier. quid muliere? nihil.

Audi etiam quàm mellitè probat Anacreon eſſe bibendum.

ἡ γῆ μέλαινα πίνει,
πίνει δὲ δένδρε᾽ αὐτήν,
πίνει θάλασσα δ᾽ αὔρας,
ὁ δ᾽ ἥλιος θήλασσαν,
τὸν δ᾽ ἥλιον σελήνη.
τί μοι μάχεσθ᾽ ἑταῖροι,
κἀυτῷ θέλοντι πίνειν;

Quæ latinis auribus ita ſonant.

Fæcunda terra potat,
Hanc arboreſque potant,
Et potat æquor auras,
Phæbuſque potat æquor,
Ipſumque Luna Phæbum,
Quid ergo vos ſodales
Potare me vetatis?

Caput Vigesimum tertium.

De epigrammatibus Acrostichicis.

Acrostichis est, cum versus in epigrammate, tali conficiuntur artificio, ut ex illorum singulis capitibus, seu primis litteris deinceps lectis, certa aliqua sententia coalescat: qualis est mirabilis illa Sibyllæ Erithrææ, quæ, ut Eusebius Cæsariensis, lib. quinto de vita Constantini loquitur, intus in ipsis aliquando adytis, importuna superstitione occupata, ac diuina certè inspiratione referta, acrostichide historiam aduentus Iesu declarauit. *Est autem Acrostichis ista.* ΙΗΣΟΥΣ, ΧΡΕΙΣΤΟΣ, ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ, ΣΩΤΗΡ, ΣΤΑΥΡΟΣ. *Quæ latinè sonant, IESVS, CHRISTVS, DEI FILIVS, SERVATOR, CRVX. Carmina Sibyllæ græca sic iacent.*

Ι Ιδρώσει δὲ χθὼν κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσαι.

Η Ηξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων

Σ Σάρκα παρὼν πᾶσαν κρῖναι, καὶ κόσμον ἅπαντα.

Ο Οψονται δὲ θεὸν μέροπες πισοὶ, καὶ ἄπισοι,

Υ Υψισον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο

Σ Σαρκοφόρον. ψυχὰς ἀνθρώπων βήματι κρινεῖ.

Χ Χέρσος ὅταν ποτὲ κόσμος ὅλος, καὶ ἄκανθα γένηται.

Ρ Ῥίψουσι δ' εἴδωλα βροτοὶ, καὶ πλοῦτον ἅπαντα.
Ε Ἐκκαύσει δὲ τὸ πῦρ γῆν, οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν
Ι Ἰχνεῦον. ῥήξει δὲ πύλας εἱρκτῆς ἀΐδαο.
Σ Σὰρξ τότε πᾶσα βροτῶν ἐπ' ἐλευθέριον φάος ἥξει
Τ Τοὺς ἁγίους, ἀνόμους τε τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει
Ο Ὁππόσα τὶς πράξας ἔλαθεν, τότε πάντα λαλήσει.
Σ Στήθεα γὰρ ζοφόεντα θεὸς φωστῆρσιν ἀνοίξει.
Θ Θρῆνος δ' ἐκ πάντων ἔσται, καὶ βρυγμὸς ὀδόντων,
Ε Ἐκλείψει σέλας ἠελίου, ἄστρων τε χορεῖαι,
Ο Οὐρανὸν εἱλίξει, μήνης δέ τε φέγγος ὀλεῖται,
Υ Ὑψώσει δὲ φάραγγας, ὀλεῖ δ' ὑψώματα βουνῶν.
Υ Ὕψος δ' οὐκ ἔτι λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανεῖται,
Ι Ἶσα τ' ὄρη πεδίοις ἔσται, καὶ πᾶσα θάλασσα
Ο Οὐκ εἰς πλοῦν ἥξει. γῆ γὰρ φρυχθεῖσα κεραυνῷ
Σ Σὺν πηγαῖς, ποταμοί δὲ καχλάζοντες λείψουσι.
Σ Σάλπιγξ δ' οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει,
Ω Ὠρύουσα τὸ μέλλον, καὶ δὴ πήματα κόσμου.
Τ Ταρταρόεν δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα,
Η Ἥξουσιν δ' ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες.
Ρ Ῥεύσει δ' οὐρανόθεν ποταμὸς πυρὸς ἠδέ γε θείου,
Σ Σῆμα δέ τοι τότε πᾶσι βροτοῖς ἀριδείκετον, οἷον

Τὸ

ΤΑΥΡΟΣ

Τὸ ξύλον ἐν πιστοῖς, τὸ κέρας τὸ ποθούμενον ἔσαι,
Ἀνδρῶν εὐσεβέων ζωὴ, πρόσκομμά τε κόσμου,
Ὕδασι φωτίζον πιστοὺς ἐν δώδεκα πηγαῖς,
Ῥάβδος ποιμαίνουσα σιδηρείηγε κρατήσει,
Οὗ τος ὁ νῦν προγραφεὶς ἐν ἀκροστιχίσιν θεός ἡμῶν
Σωτὴρ ἀθάνατος, βασιλεὺς, ὁ παθὼν ἕνεχ' ἡμῶν.

Quæ quidem carmina latinè, seruata quantum fieri potuit acrostichi, hoc pacto reddita sunt.

IESVS, CHRISTVS, DEI

Iuditio telluris erit sudoribus omen,
Erumpetq. alto, carnem qui iudicet, atque
Suspensum (tanti est regis præsentia) mundũ.
Viderit inde omnis, vel si perspecta fides est,
Siue hæc nulla, Deum, sanctosq in fimb. æui.
Carnis amasius, & pulpa vestitus amica,
Hic animus alba e sella ius dicet, eritque
Rerum campus inops, tribuli nascentur, opesq.
Inuisæ fient homini, atq. iacebit imago.
Soluentur portæ stygij Plutonis ab illo.
Tum quoduis ista gaudebit luce cadauer.
Vir sacer, atque exlex flamma dignoscitur, atq.
Scitur in integrũ quidquid tamen vsq. latebat.
Ducet enim lampas reseratis foribus intrò,
Et multi plangent, multi ringentur, & astra
Inducent choreæ legem, facies tum Solis opaca,

FILIVS, SERVATOR, CRVX.

Flexum erit & cælum, nulla quoq; luce Diana
Implebit valles, & cassa cacumina reddet:
Labentur colles, hominum fastidia, toti
Incipient æquor fieri montes, mare demum
Veliuolum nulli, tum tellus fulmine arescet,
Subsident fontes, & nusqnam fluminis horror,
Suspectum cælo sonitum dabit ære recuruo
Eiulans tuba perniciem, mundiq; labores.
Recludetq; chaos immensum terra dehiscens.
Vndiq; conuenient reges, sedemq; videbunt.
A cælo riuus flammæ, vnde & sulphuris atri
Tum benè iactãdum iudicium mortalibus, atq;
Optatum cornu signum, cum gente fideli
Res æquè vna pijs vita, orbisq; insitus error,
Clara duodenis illustrans fontibus vnda:
Roboreumq; pedum toto dominabitur æuo.
Versibus exscriptus Deus his, est noster, amoris:
Xenophilus nostri causa rex vltima passus.

Qui versus alio etiam pacto versi sunt, seruata græcanicæ linguæ acrostichi, quæ quidem translatio quia clariorem dat sensum, magisq; ad græcum accedit, non ab re fore existimaui, si ipsam quoque exscriberem. Talis est.

Ι Iudicij fuerit cum signum, terra madebit,
Η E cælo veniet princeps per secla futurus:

Σ Scilicet

M Scilicet vt carnem præsens, & iudicet orbem.
O Omnis homo hunc, fidusq. Deũ, infidusq. videbit,
Y Vnà cum sanctis excelsum fine sub æui.
M Sede sedens animas censebit, corpora & ipsa.
X Cherfos erit mundus, spinas feret vndiq. tellus.
P Reijcient simulachra homines & munera Ditis:
I Inquirens portas infringet carceris atri.
M Sic etenim cunctę veniet lux libera carni,
T Tunc sanctis: Ignis fontes æternus aduret:
O Occultos actus omnes tunc quisque loquetur,
M Sed tenebrosa Deus collustrans pectora pandet.
Θ Threnus erit cunctis, & stridor dentis adesi.
E Effugiet Solis iubar, astrorumq choreæ:
O Omne poli lumen soluetur, & aurea Luna.
Y Valles extollet, collesq à vertice perdet:
Y Vsquã nec celsũ mortalibus, aut graue quicquã,
I Inde æqui montes campis, hinc cærula ponti
O Omne ratis spernent onus, hiscet fulmine tellus.
M Sic fontes simul arescent, & fluminis aluei.
M Stridula tũ querulũ sonitum tuba fundet olympo
Ω Orbis grande malum rugiens, & damna futura:
T Tartareumq. chaos monstrabit terra dehiscens:
Σ Et venient omnes reges Domini ante tribunal.
P Refluet e cœlo tunc sulphuris amnis, & ignis.
M Sic cũctorum hominũ fient manifesta sepulchra:

T Tunc

Τ Tunc dignum fidis erit exoptabile cornu.
Α Atq piorum vita hominum, nocumẽtaq. mundi
Υ Vndis lustrabunt bis seno in fonte vocatos.
Ρ Rex pastor is erit nobis, & ferrea virga.
Ο Omnipotẽs Deus est præscriptus versibus istis,
Σ Seruator nostro æternus Rex passus amore.

Quod quidem carmen, quia pro Seruatore nostro, vero Deo, Deiq. Filio, tum eius passione extremoque iudicio, tam splendidum ac luculentum dicit testimonium, quod omne os iniquum intercludat, suspicati sunt delicatuli quidam non esse germanum & legitimum Sibyllæ, sed suppostitium: nempe ab aliquo Christianæ religionis cultore elaboratum. Quos tamen longè à veritatis tramite aberrare, argumento est, Primò, stylus ipse, qui fanatici nescio quid & quandam vetustatis speciem præsefert. Deinde, qui hoc negat, negabit omnia, quæ nunc extant Sibyllina carmina, quæ tempore Octauiani Augusti magno labore, pariq. sedulitate, ex vniuerso terrarum orbe conquisita fuere: quippe quæcunq. in hoc carmine strictim & compendio de Christo dicuntur, in illis sparsim & copiosissimè recensentur. Quid? Hæc Acrostichis passim in manibus hominum erat, antequam benignitas Dei nostri apparuerit. M. Tullius, qui ante natalem Domini, annis septem, & quadraginta

ginta diem suum obijt, non modo hæc carmina legit, sed in Romanam etiam dialectum transtulit, & commentarijs suis inseruit, *inquit Eusebius loco quem indicabam. Immò verò in his ipsis, quæ nunc terimus, Ciceronis operibus, fit mentio Acrostichidos; (an huius, non audeo affirmare) nam in secundo libro de diuinatione, ubi de Sibyllis est sermo, hæc legimus.* Non esse autem illud carmen furentis, cum poema declarat, (est enim magis artis, & diligentiæ, quam concitationis motus,) tum verò ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur, cum deinceps ex primis versus litteris aliquid connectitur, &c.

Caput Vigesimum quartum.

CErtum atq. dilucidum est, Romanum Pontificem alterum esse a Christo inter mortales. Altero itaque loco ab ea, quam de Christo attuli, sistat acrostichis, quam nos superiore qui se proximè euoluit atque elapsus est anno, in Sanctissimi D. N. URBANI OCTAVI, Pontificium verè MAXIMI, OPTIMIQ. æternum iubar græcè conscripsimus. Est quippe diuinus ille heros æquè in græcanico ac in latino sermone facile pincens. Quam quidem etsi nos ipsi,

ad

ad ſacratisſimos illos, enixèq. venerandos pedes prouo-luti exhibuimus, excepti etiam humaniſsimè, haud ta-men præter æquum fuerit, eam ipſam ſcripto committe-re, vt non modo ad homines huius æui, vbi-ubi illi ſint, qui hæc legerint, ſed in omnem quoq. poſteritatem vo-tiuæ noſtræ mentis loquatur monumentum. Carmen hoc eſt, acroſtichis verò ζῆθι, καὶ χαῖρε.

Ἐις τὸν μακαριώτατον πάπαν,

Οὐρβανὸν τὸν ὄγδοον, φέροντα

τὸ τίμιον τοῦ χριςοῦ σῶμα.

Ζ Ζακλεὲς ὅττι φέρων τὸυ μὲν δέμας Ουρβανὲ ἄκρε,

Η Ημερίοισι σέβειν δείκνυς πασσιδίῃ,

Θ Θεῖαν ἀμηβαίοις μοι ἀναρτᾶς ἔργμασι μοῖραν,

Ι Ιρᾷ ὡς σὲ φέρων τῇ δ᾽ ἐνέθηκα ἕδρᾳ.

Κ Κάλλυνας τὸ πάροιθε σοφοῖς μελεδήμασι τάττων,

ΑΙ Αινεσίαις ἄυξων, ἤθεσ᾽ ὑπερκομέων,

Χ Χρηςοδίκῃ τηρῶν τὸν ἐμὸν δόμον. ἄρτι δὲ χερσὶν

ΑΙ Αιρων, πάντα φάτει τὸν φορέοντα φέρεις.

Ρ Ρᾶς κ᾽ δ᾽ ὅπως με φέρῃς δηρὸν, δηρόν σε φυλάξω.

Ε Ες δ᾽ ἄρ᾽ ἀμοιβὴν νυῦ, τήνδ᾽ ἔχ᾽ ἀκροςιχίδα.

Ἰωάννου τοῦ Κωτλουνίου.

Elaboraui aliud carminis genus longè laboriosius, dum eiusdem SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI æternitati, felicia faustaque anni primordia deprecarer. Tali arte confectum est. Ab ipsis epigrammatis carceribus ad metam vsque, transuersa linea, ita quædam litteræ in singulo versu collocatæ respondent, vt carminis sensum minimè turbantes, hunc dent sensum. VRBANE OCTAVE. Dein, à capite extremi versus, trasuerso itidem colle, ad finem vsque primi, referat, SVMME PASTOR. Et denique acrostichis, VIVE LÆTVS.

VRBANO VIII.

PONT. OPT. MAX.

Felicitatem deprecatur.

Visus in eoo Christi sub origine splendOR
ImpeRiosas Tarsi, vndique mouiT opes,
Vt ferrent Blando myrrhã, thuS, munera, regi,
Edito, & infAnti, votA precesq. darent.
Lux tua iã veneraNda fauet, Princepsq. potestas
Aurora, & supplEx nunc tibi Vesper adest.
Exhibet hic Myrrhã, prOfert hęc munera regũ;
Thura tibi Merita hęc nostra Camæna litat.
Viue diV lætus, vincas & NesTora sæclis,
Spes rara ò hominum, ò Vrbis, & orbis AVE.

Ioannes Cottunius.

Caput

Caput Vigesimum quintum.

De Echone.

INter præcipua naturæ opera, quæ hominum mẽtes ad sui admirationem pelliciunt, meritò vocis æmula Echo annumeratur; quæ fit, cum sonus in aliquod corpus læue, & concauũ incurrit, a quo perinde ac pila, repulsus ad aures pertingit. In ea non integra locutio, sed postrema ferè verba audiuntur, quia licet tota vox reflectatur, nihilominus priores illius partes à subsequentibus, propter exilitatem turbãntur: quo fit, vt illæ duntaxat a nobis audiri soleant, quarum regressus minimè præpeditur, cuiuscemodi sunt nouissimæ orationis particulæ.

Admirabile hoc naturæ opus, sedula & ingeniosa ars in carmine æmulatur. Æmulatur autem cum in fine, aut in medio versus, talem apponit vocem, quæ vel toti præcedenti, vel sanè illius extremitati, & caudæ similis, quasi respondeat, & acceptum sonum repetat, vt in hisce vocibus videre licet. Faue, Aue, Magnus, Agnus, Plaustrum, Austrum, *Clamor, Amor, Sospes, Hospes, Clangor, Angor, Hamo, Amo, Habeat, Abeat, Æris, Eris, Fœmina,*

Mina, Primus, Imus, Mæstus, Æstus, Fauilla, Illa, Facies, Acies; Nomen, Omen; Laurum, Aurum; Fletum, Lethum, Pestifera, Æstifera; Sepulchra, Pulchra; Generosa. Rosa; Adeo, A Deo; Amabit, Abit, Fraudis, Audit, Furore, Rore; Loquare, Quare; Suauiore, Suaui ore; Acerbioris, Acerbi oris; Remansit, An sit; Parata est; Rata est, Irritare, Irrita res Probrosus, O sus, Terribilis, Lis; Onustus; Vstus, & his similia. Sunt qui hasce etiam imagines approbant, Ille ne iacet? Tacet. Quæ causa obitus? Pus. Religio amisit Patronum? Bonum. Hæreticos oderat? Poterat, &c. quibus quidem nunquam vterer. Immo verò in hoc venusto, sed laborioso carmine enitendum est, vt, quo ad eius fieri potest, Echo fiat quàm simillima: & potius in dissyllabis, quàm in trisyllabis, aut quadrisyllabis, vel etiam monosyllabis conficiatur, quia dissyllabica imitatio ad reinaturam magis accedere videatur.

Echo sic appenditur, vt præcedentem sententiam confirmet, aut porrò infirmet: tum maius aliquid, aut minus, diuersum, contrarium, optatum, inexpectatum, præter spem bonum, malum ve referat. Aliquando statim respondet, aliquando interpositus non nullis poetæ verbis. Exemplum prioris.

Quisnam clamor? amor. *Quisnam furor?* vror.

Posterioris autem.

Is maius nostro numquid dare possit amori?
Reddidit illa nihil, quam gemebunda. Mori.

Prior elegantior est, immò quò crebrior, eò pulchrior. Sed age nonnulla subijciamus exempla; Et quidem apud Græcos extat Echo in Aristophanis Comædia, cui nomen θεσμοφοριαζούσαις, *tum in Anthologia Græca libro quarto, cap.* ιο *ista.*

Αχὼ φίλα μοι, συγκαταίνεσόν τι. τί;
ἐρῶ κορίσκας, ἁδέμε οὐφιλεῖ. φιλεῖ.
πρᾶξαι δ' ὁ καιρὸς καιρὸν οὐ φέρει. φέρει.
τυ τοίτων αὐτᾷ λέξον ὡς ἐρῶ. ἐρῶ.
καὶ πίσ.ν αὐτᾷ κερμάτων τὺ δὸς. τὺ δὸς.
ἀχὼ τί λοιπὸν, ἢ πόθου τυχεῖν; τυχεῖν.

Inter *latinas Echus tres legi, quæ lectoris laborem allicere ac morari possunt: In Christi Dei nostri natalem est, quæ hic sequitur.*

Hæc Bethleemitæ pastoris verba referte,
Audita est Echo, quæ iuga montis habet.
Quis natus? dixit, *Natus.* patris ne Iudæi?
Illa, *Dei.* verus ne est homo? dixit; *homo:*
Atq. hic idē nonne Deus remanet? *manet.* est ne
Vt pater omnipotens? rettulit illa, *potens.*
Hunc quid de cęlis duxit? *Lis duxit.* at istam
Dic vtrum vincet? *vincet,* & ipsa refert.
Litis erat radix longæua? *Eua.* an mala? *mala.*

Num

Num gula sic potuit? illa refert, *potuit*.
An puer hic fiet magnus? quę reddidit, *agnus*.
Ipse ait hoc? *ait hoc*. cur ita clamat? *amat*.
Is maius nostro nunquid dare possit amori?
Reddidit illa nihil, quàm gemebunda *mori*.
Hoc faciet? *faciet*. moriens? *oriens*. Deus ille?
Heus ille. est forsan causa tua? *ausa tua*.
Diligere hunc ergo par est super omnia Chrm?
Istum. nonne Deum? dixit, *eum*, & tacuit.

Adijciam hanc quoq. multò sanè ingenio, ac lepore elaboratam, ac refertam.

Quę celebrat thermas Echo, & stagna alta Neronis,
Deludit voces concaua sæpe meas.
Sæpe hic Narcissum expecto: simul illa moratur.
Si queror, hæc queritur, si gemo, & illa gemit.
Quisnã clamor? *amor*. qlnã furor? *vror*. an Echo?
Echo. quæ maior pęna in amore? *moræ*.
Expectas Narcissum? *Issum*. quæ causa morandi?
Orandi. num isthęc dicta notabit? *abit*.
Adfuerat? *fuerat*. nũ isthic? *hic*. quem fugit iste?
Is te. etiam me? *me*: qđ malum amàre? *mare*.
Non veniet? *veniet*. quæ spe? *æs*. vincitur auro?
Auro. victor ero prodigus æris? *eris*.
Sunt igitur fragiles? *agiles*. vi muneris? *æris*.
Quis docet hoc? *Echo*. cur bene clamat? *amat*.

Caput

Caput Vigeſimum ſextum.

De epigrammatibus correlatiuis, & concordantibus.

QVædam epigrammata, correlatiua dicta ſunt: atque eiuſmodi conficiuntur ingenio, vt collocatis in primo verſu quibuſdam verbis, aut nominibus, alia in ſubſequenti adijciantur, quæ ex ordine, & caſu prioribus reſpondeant. Qualia ſunt quæ hic ſubijcio. De Ioue, qui ob amorem Ledæ, olor; ob Europæ, taurus; propter Antiopæ, ſatyrus; propter Danaes, aurum dicitur factus, hoc extat, libro primo Antholog.

ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς, δ' ἔρωτα,
λήδης, εὐρώπης, ἀντιόπης, δ' ιανάης. idest.

Fit cycnus, taurus, ſatyruſq; aurumq; ob amorẽ
Ledes, Europes, Antiopes, Danaes.

Tum hoc de concubina.

Corpus, opes, animam, conſortia, fædera, famam,
Debilitat, perdit, necat, odit, deſtruit, aufert.

Audi aliud ſimile in diſsimili argumento

Paruus erat, ſed magnus erat, ſed maximus, ingẽs,

Corpore, virtute, relligione, fide.

Huius generis, sed longè laboriosius est hoc tetrastichō.

Odit, amat, reprobat, probat, execratur; adorat,
Crimina, iura, nefas, fas, simulachra, Deum:
Fas, simulachra, Deū probat, execratur, adorat;
Odit, amat, reprobat, crimina, iura, nefas.

Anxiori cura elaborata sunt illa, quæ nunc subijcio:
In Virgilium est vulgatum hoc Pentadij.

Pastor, arator, eques, paui, colui, superaui:
Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

Quod quidem Matthæus Toscanus de P. Bembo imitari hunc in modum conatus est.

Historicus, Vates, Rhetor, celebrat, canit, implet;
Gesta, ignes, aures, ore, lyra, eloquio.

Legi etiam isthuc de M. Tullio.

Defendi, tenui, vetui, face, cæde, cruore,
Ciuis, dux, consul, tecta, patres, Latium:

Extat etiam de Iacobo Patriarcha, lugente ob mortem Iosephi filij tale carmen.

Lumē, lingua, manus, fletu, clamoribus, hamo;
Ora, locum, crines, abluit, implet, arat.

Ad hanc classem reuoco illa quoque, in quorum conclusione colligimus omnia, & quidem ijsdem verbis, quæ toto carmine comprehensa fuere; quod cernis in hoc lepidissimo epigrāmate de Hermaphrodito, eiusq; morte.

Dum

Dum mea me genitrix grauida gestaret in aluo,
Quid pareret fertur, consuluisse Deos.
Mas est, Phœbus ait: Mars fęmina: Iunoq. neutrũ.
Cumq forem natus, Hermaphroditus eram.
Quærenti letum, Dea sic ait; occidet armis:
Mars, cruce: Phœbus aqs: Sors rata quæq. fuit.
Arbor obumbrat aquis, ascendo, decidit ensis
Quem casu tuleram, labor & ipse super.
Pes ramis hæsit, caput incidit amne; tuliq.
Fœmina, vir, neutrum, flumina, tela, crucẽ.

Exemplum concordantium sit isthuc de cane, & lupo.

Et canis / *Et lupus* } *in syluis* { *venatur* / *nutritur* } *& omnia* { *seruat* / *vastat*

Tum hoc de vxore:

Qui ca (*pit* / *ret*) *vxo* (*rem* / *re*) *li* (*tem* / *te*) *ca* (*pit* / *ret*) *atque dol* (*orem* / *ore*)

Nec non,

Qu / *H* *os* *an* / *san* *guis* *di* / *mi* *rus* *tri* / *Chri* *sti de* *fu* / *vul* *nere* *stra* / *la* *uit*

Vel hoc pacto.

Qu / *H* *os* *an* / *san* *guis* *d* / *m* *irus* *t* / *Ch* *rist; cum* *fu* / *vul* *nere* *str* / *l* *auit*

O *idest.*

idest. Quos anguis dirus tristi de funere strauit,
Hos sanguis mirus Christi de vulnere lauit.

Caput Vigesimum septimum.

De epigrammatibus antistrophis, siue recurrentibus.

Epigramata ἀντίστροφα, *&* παλινδρομοῦντα, *reciproca. & recurrentia, ea sunt, quorum versus ordine inuerso recurrunt, ac leguntur: Eorum genera varia sunt. Vel recurrit heroicum, & elegiacum; & quidem eodem sensu, ut illud de Hippocrate.*

Ἱπποκράτης φάος ἦν μορόπων, καὶ σώετο λαῶν
ἔθνεα, καὶ νεκύων ἦν σπάνις εἰν ἀΐδῃ.

Lege ab extremo

Εἰν ἀΐδῃ σπάνις ἦν νεκύων, καὶ ἔθνεα λαῶν
σώετο, καὶ μερόπων ἦν φάος Ἱπποκράτης.

In libro sexto Epigram Græc. cap. 4 octo disticha retrò currentia reperies: initium est, πηνελόπη τόδε *&c, Sed Latina audi. De torrente est hoc.*

Præcipiti modo, quod decurrit tramite flumen,
Tempore consumptum iam cito deficiet.

Desi-

Deficiet citò iam consumptum tempore flumen,
Tramite decurrit, quod modo præcipiti.

Longè venustiora sunt, quæ contrario sensu recurrunt, ut isthuc.

Pauperibus sua dat gratis, nec munera curat
Curia Regalis, quod modo percipimus.
Percipimus modo, quod Regalis curia curat
Munera, nec gratis dat sua pauperibus.

Tum hoc in quorundam Regum connubium, quorum alteri felicitatem, alteri infelicitatem precatur.

Connubium tibi Rex fortunent numina longo
Tempore, nec sterilis sit tua progenies.

Et etiã. Laus tua, nõ tua fraus, Virtus, nõ copia rerũ,
Scandere te fecit hoc decus imperij.

Illud quoque de Carolo Cæsare.

Cæsareum tibi sit felici sydere nomen
Carole, nec fatum sit tibi Cæsareum.

Vel idem versus heroicus retrò lectus exit pentameter, ita ut cõpleatur distichon: Cuiusmodi est vulgatũ illud de Abelis, & Caini sacrificio, sensu planè diuerso.

Abel- Sacrũ pingue dabo, non macrũ sacrificabo.
Cainus Sacrificabo macrũ, non dabo pingue sacrũ.

Item hoc.

Patrum dicta probo, nec sacris belligerabo.
Belligerabo sacris, nec probo dicta patrum.

Longè operosior eſt illa recurrentium, atq; retrogradorum ſpecies, cum verſus ita recurrunt, vt metro ſtante, neq. litteris loco motis, ſicut ab exordio, ſic à fine relegantur. Græcè καρκίνοι *dicti, quia cancrorum inſtar recurrunt. Leges aliquot huiuſmodi epigrãmata in lib. 6. Antholog. Græc cap. 13. Equidem hoc vnũ exſcribã.*

ἀθλήσας ἤδη πώλῳ πηδήσας ἦλθα,

ἀμήσας ἀρδην ὀροφηφόρον ἤδρασα σῆμα.

ἀλύξας ὥραν ἠνεμωμένην ἤρωσα ξύλα.

Inter latina eſt illud, vt fertur, Milleartificis

Signa te ſigna temere me tangis & angis,

Roma tibi ſubitò motibus ibit amor.

Tum hoc. Sole medere pede, ede, perede melos.

Et aliud. Si benè te tua laus taxat, ſua laute tenebis.

Hoc etiam.

Nemo ſi diri ſubſis Buſiridis omen.

Rara teres animi limina ſeret arar.

Vt ſerò memores, oro ſerò memores tu.

Sacco tu ſuberis, ſanas ſi rebus vt occas.

Et necat eger amor, non Roma rege tacente.

Roma reges vna, non anus eger amor.

In quibus, vt ingenuè fatear, quia tanta metri incumbit neceſſitas, parum, aut nihil ineſt ſenſus, nedum affectus. & gratiæ: nihilominus ſcriptoris ingenium ſolertiaq; laudanda. Nobis hic ea lubuit dare, ne quid relinqueremus in hoc argumento intactum.

Caput Vigesimum octauum.

De epigrammatibus declinatis, & coniugatis.

Declinata epigrãmata voco, in quibus ita carmen perteximus, vt simul etiam nomen aliquod declinemus. idq. vel in numero paucitatis, vel etiam multitudinis. Exempla quæ hic subijcio, rem in propatulo ponunt. Et quidem de singulari numero hoc extat.

Omnia Mors soluit: sunt omnia terrea Mortis:
Mortalis viuo viuere disce Deo.
Omnia debentur Morti: Mortemq; sequuntur:
Mortalis verum disce timere Deum.
Omnia Mors, tua sunt: morientur & cũa Morte:
Discite Mortales viuere, itemq; mori.

Breuius hoc de morte Seruatoris nostri.

Mors mortis morti mortem nisi morte dedisset,
Cælorum nobis ianua clausa foret.

Tum etiam:

Morti Morte tua Mortem moriendo dedisti,
Mors tua sit Mortis Christe medela meæ.

Extat etiam isthuc de pace.

Pax pacis paci pacem cum pace precatur,
Quando Deo ex toto pectore fidit homo.

Lege si lubet, phaleucium, quod sequitur, quod nomen puellæ integrè flectit, Sem-

Semper dulce fuit malum Puella,
Et vox blanditijs potens Puellæ,
Si quis crediderit semel Puellæ,
Lusus post odijs habet Puellam,
Et mærens ait, ò vale Puella
In tota nihil est boni Puella.
Peiores cane sint licet Puellæ,
Mos gratus tamen est Puellularum,
Stamus pignora simplices Puellis,
Et donis emimus datis Puellas,
O felix genus, ò decens Puellæ,
Diuellet iuuenes quis a Puellis?

Audi lepidam quoque & facetam Scamni declinationẽ.

Quã durum Scamnum: quanta inclemẽtia Scãni:
Insideo Scamno: toto premo corpore Scamnum:
O Scamnum, scamnũ: rigido nõ gaudeo Scãno:
Scamna iuuent alios: Scamnorum nulla voluptas:
Dico vale Scamnis: alijs ego Scamna relinquo:
Scamna valete: malo duris absistere Scamnis.

Coniugati verò epigrammatis exemplum, in quo scilicet verbum per aliquot tempora flectitur, sit hoc.

Quod fuit, est, & erit, perit articulo breuis horæ:
Ergo quid prodest esse, fuisse, fore?
Esse, fuisse, fore, heu tria florida sunt sine flore:
Nam semel omne perit, quod fuit, est, & erit.

Vlumi

Vltimi duo versus sunt Leonini; in quibus nimirum versus cauda, seu finis, ventri, & medio eiusdem respondet: qui semipriscis mirificè fuere probati, Exẽpla sint hæc.

Hospitis in mensa, vultum, non fercula pensa.
Dat benè, dat multum, qui dat cũ munere vultũ.

Immò legimus Vrbanum Quintum Pont. Max. misisse ad Imperatorem Græcorum tres, vt vocant, Agnos Dei, cum hisce, aut similibus versibus.

Ballamus in cera munda, cum Chrismatis vnda,
Conficiunt Agnum, quẽ do tibi munere magnũ.
Fonte velut natum per mystica sanctificatum.
Fulgura de sursum fugiunt, ac omne malignum:
Prægnans seruatur, proles sine vi generatur:
Portantem tumidæ de fluctibus eruit vndę:
Peccatum frangit, crudeles Dæmonas angit:
Mumera fert dignis, virtutem destruit ignis:
Morte repentina seruat, Satanęq. ruina:
Si quis honorabit, certa hosti damna parabit.
Id virtutis habet pars parua, quod ĩteger Agnus.

Redeo ad poetarum lusus, qui ludunt, sed aliquando seriò ludunt, vt in istis epigrammatibus.

Quid facies facies Veneris cum veneris ante?
Ne sedeas sed eas, ne pereas per eas.

Et hoc dictum, quouis Apollinis dicto verius, nec vnquã pro merito laudatum.

Si

Si dat olufcula,	Ne pete grandia,
Menſa minuſcula,	Lautaq. prandia,
Pace referta,	Lite repleta.

Nec omiſerim molliculos Flori poetæ, & Adriani Imp. ſtrenui luſus. ſic Florus.

Ego nolo Cæſar eſſe,	Spatiari per Germanos,
Equitare per Britanos,	Scythicas pati pruinas.

Respondet Cæſar facetè, & ſalsè.

Ego nolo Florus eſſe,	Spatiari per culinas,
Ambulare per tabernas,	Culices pati rotundos.

Adam pro coronide hæc duo, quãuis numeris lege ſolutis.

Annis mille iam peractis,
Nulla fides eſt in pactis,
Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde, fraus in factis.

Et hoc de Deo,

Quod Deus eſt, ſcimus.
Et ſi plus ſcire velimus,
Vltra non minus,
Deus eſt ſumus, & imus.
Vltimus, & primus,
Nec plus ſcire poſſimus.

Verùm neque nos plura addere debemus: claudo hoc caput, & ſimul librum, in laudem, & gloriam Dei benedicti, & Deiparæ Virginis Mariæ.

Finis de conficiendo epigrammate.

00564348800564349700564348900564349O